. lit. U. 225 Rambach

Ex bibliotheca

Steph. Ouatremeri.

<366254277200016

<366254277200016

Bayer. Staatsbibliothek

Chardon de la Rochette

JOANNIS JACOBI RAMBACH,

PASTORIS AD ÆDEM S. MICHAELIS ET SCHOLARCHÆ HAMBURGENSIS,

SYLLOGE DISSERTATIONUM AD REM LITERARIAM PERTINENTIUM.

Hamburgi,
Sumtibus Carol. Ernest. Bohn.
MDCCXC.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

DISSERTATIONUM

AD

REM LITERARIAM

PERTINENTIUM.

Accidit sane præter exspectationem meam, ut, qui mihi studiisque meis favent, novam dissertationum mearum suaderent poscerentque editionem. Equidem non ignorabam, has ipsas dissertationes, quippe ante viginti & amplius annos scriptas, ita disparuisse, ut nulla earum supersint exempla; nec oblitus eram laudis perhonorificæ atque adeo publicæ, qua viri egregie docti labores qualescunque meos olim ornabant. Attamen animum meum subibat cogitatio, quidquid scripsi unquam, id omne non satis dignum esse, de cuius memoria servanda posteritatique tradenda vel mihi vel aliis sit laborandum; tutius etiam videbatur, latentes iam libellos oblivioni relinquere, quam in lucem

adſpectumque iterum proferre. Itaque alienus eram a conſilio, ad quod excitabar, capiendo; penitusque mihi perſuadebam, nullo rei literariæ damno amiſſas eſſe diſſertationes, ſeorſim & per intervalla olim a me editas. Ut vero faciles eſſe ſolemus amicis, diligenter & cupide petentibus, utque alienæ benevolentiæ ſignificatio primo placet, mox allicit & invitat, denique animum, quantumvis reluctantem, vincit; ſic ego quoque, quod diu recuſabam, tandem a me impetrari paſſus ſum. Et quidni fatear, id eo lubentius a me factum eſſe, quo iucundior erat rerum præteritarum recordatio, & quo maiorem mihi afferebat voluptatem, diſſertationibus meis retractandis velut in ſuaviſſimam eorum ſtudiorum ſocietatem redire, quæ iuventutem meam alebant, quæ venientem nunc ſenectutem oblectant, quæque, dum ſpiritus hos reget artus, nunquam mihi ēripi patiar. Namque ea mihi ſemper ſtetit ſententia, omnem vitæ huius felicitatem literarum præſidio mirum quantum augeri; ve-

vehementer etiam adſentior *Senecæ* affirmanti, otium ſine litteris eſſe mortem, & hominis vivi ſepulturam. (Epiſt. 82.) His itaque omnibus motus, tandem explevi amicorum deſiderium, & commentationes meas typis iterum exſcribendas curavi, ita quidem ut mutarem augeremque alias, alias vero, quoniam paullo diffuſiores erant, in arctius cogerem. Quæ ſi Vobis placent, Lectores, ſique vel utilitatis vel oblectamenti quid afferre videntur, magno laborum meorum præmio me ornatum exiſtimabo. Dab. Hamburgi IX ante Idus April. MDCCXC.

Rambach.

Index

Index

eorum, quae Volumine hoc continentur.

I. De ingeniis desultoriis - Pag. 1.

II. De stolida docendi ratione - - 19.

III. De Poetarum lyricorum inter Romanos paucitate - - - - 39.

IV. De Hegesia ΠΕΙΣΙΘΑΝΑΤΩ - - 77.

V. De historia romana magnam partem incerta & impedita - - - 101.

VI. De scholarum fama, Prolusiones tres - 141.

VII. De ratione scribendi historiam scholarum - - - - - - 173.

VIII. De Adiaphoris in utroque Sacramento obviis - - - - - - 191.

IX. Oratio de eo, quod iucundum est in vita scholastica - - - - 257.

DE

DE

INGENIIS DESULTORIIS

PROGRAMMA.

DE

INGENII DESULTORIS

PROGRAMMA.

Quo tandem fato fieri dicam, ut, qui eruditionis gloriam conſequi ſtudent, in avia plerumque ruant, & quidquid agunt, irrito ſæpe ac longe vaniſſimo conamine agant? Habent quidem omnes vitæ humanæ conditiones, omnesque adeo homines, ſuas fortunæ inſidias, ſuaque, quibuscum conflictantur, pericula; innumera autem ac fere maxima ſunt diſcrimina, per quæ ad eruditionem iter patet. Quod utrum fato quodam, an potius ipſa litteratorum culpa accidat, diſquirere nolo; nec etiam attinet, latius evagari & omnia eruditorum pericula ſermone complecti. Longa enim eſt injuria, longus malorum ordo.

Equidem nihil foret, quod miraremur, ſi, qui ingenii tarditate impediuntur, in ſyrtes ſcopulosque ruerent; quod vero ii adeo, qui faciles in excogitando & ad diſcendum promti ſunt, ſæpiſſime fallantur, errent ac laboribus ſuis nihil plane proficiant, hoc non miramur ſolum, ſed etiam merito deploramus. Quantæ enim, bone Deus! hinc oriuntur tragœdiæ! quanta mala! quæ, dum litteratos exagitant, rem quoque litterariam vehementer affligunt. Namque illi ipſi errores, quibus bonarum artium ſtudioſi haud raro delectantur, quid aliud efficiunt, quam ut plerique ſine

suo & utilitate e litteris capienda excidant, & tandem nihil habeant, quod ad communem usum fructumque proferre possint? Atque in tanta errorum multitudine, dici vix potest, quam male se habeat res litteraria, & quam inique depravetur & ad pessimos usus detorqueatur. Alii enim ad ineptias delabuntur, magno conatu maximas nugas agunt, atque in iis rebus indagandis tempus consumunt, quas sive scias, sive nescias, nihil inde vel commodi vel incommodi percipies. Alii sine ordine, sine nexu studia tractant, & moræ impatientes per omnes litterarum provincias circumvolant. Alii denique invita Minerva profitentur artem, a qua naturâ abhorrent. O! deplorandam eruditionis sortem! O fœdissimam ingeniorum pestem! Quid vero in tanta, tamque perniciosa eruditorum peruersitate faciendum? quid? Scilicet, cohibendum est malum, ne occulte serpens latius disseminetur & tandem vi prorumpat, omniumque animos occupet. Age itaque, pericula considéremus, quæ litteratis pestem minitantur, &, qua tandem ratione repelli possint, videamus.

In quo perficiendo id nunc utile mihi & necessarium est, ut omissis reliquis eruditorum vitiis, unum idque, ni fallor, maximum paullo accuratius examinem, tum quod temporis, quibus his præsertim diebus, cogor, angustiæ vix scribendi spa-

spatium relinquunt, tum quod ea, quæ huc pertinent, majora sunt, quam ut explicari dicendo & commemorari possint.

Quamobrem *de desultoria litteratorum levitate* disserere nunc lubet, quæ, quibus indiciis se prodat, brevissime dicam, ut, quid sit *ingenium desultorium**), facilius cognoscatur. Dantur nimirum in litterarum cultoribus haud pauci, qui tumultuarie litteras tractant, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed per varios auctores & scripta discurrunt; qui moræ & progressionis impatientes desultorie hinc inde vagantur, qui sexcenta studia commiscent, atque ex omnibus quidem disciplinis multa discunt, nihil autem, quod solidum sit, suisque partibus absolutum. Hi itaque illi sunt, quibus ingenium desultorium, vagum, inconstans atque volaticum tribuimus; ingenium, quod attentionem ferre nequit, sed ad

 alia,

*) Desultorium nuncupamus ingenium, (sunt verba *Cæl. Rhodigini* Lection. Antiquar. lib. 21. c. 29.) quod mobile est, varium ac omni tipula levius, facileque momentis horarum ad tenuissimum quemque afflatum in diversa transiliens, instar foliorum, quæ, ut Poeta inquit,

Mobilibus ventis arida facta volant.

Aegri proprium est, nihil diu pati, & mutationibus, tanquam remediis uti. — — Nec male huc quadrant, quæ habet *Seneca*, de mobili & inquieta hominum mente differens: "Nunquam se tenet; "spargitur, & cogitationes suas in nota omnia & "ignota dimittit; vaga & quietis impatiens.„

alia, ad alia usque & usque festinat. Quæ juvenilis & concitatior festinatio gravissimum sane est malum & eruditioni nocentissimum, de quo idem fere dici potest, quod de nimia librorum lectione ait SENECA.*) Ita vero ille: "Certis ingeniis "immorari & innutriri oportet, si velis aliquid "trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nus- "quam est, qui ubique est. In peregrinatione "vitam agentibus hoc evenit, ut multa quidem "hospitia habeant, sed nullas amicitias. Idem "accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio "applicant, sed omnia cursim & properantes "transmittunt. Non prodest cibus, qui statim "sumtus emittitur. Nihil æque sanitatem impedit, "quam remediorum crebra mutatio. Non venit "vulnus ad cicatricem, in quo crebra medicamen- "ta tentantur. Sic quoque animum distringit li- "brorum multitudo." Intelligitur hinc, quam periculosa res sit, animum nimia rerum cognoscendarum varietate & copia obruere, & nunc huc, nunc illuc cogitationem transferre. Fastidientis stomachi est, multa degustare; quæ ubi varia sunt & diversa, inquinant potius quam alunt. Atque sicuti eos, qui, quo destinarunt, pervenire volunt, unam sequi oportet viam, non per multas vagari; sic litterarum cultores caveant, necesse est, ne circumvolent, & hinc inde discurrant. Non ire istud, sed errare est.

"At,

*) Epist. 23.

"At, inquies, odiosum est, unum eumque "solum sequi, & unius in verba jurare. Præstat, "plures sibi ad imitandum proponere, & quæ ad "usum nostrum faciunt, undique elicere.„

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
*Omnia nos itidem depascimur aurea dicta**)„

Recte tu quidem; & nos quoque apes imitamur, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt, deinde quidquid attulere, disponunt ac per favos digerunt, &

— — — *liquentia mella*
Stipant & dulci distendunt nectare cellas.

At enimvero, mi curiosule, qui nusquam consistis, sed desultoria levitate undique circumvolas, num præcipitata tua festinatione idem efficis, quod apes? Hæ enim, cum purpureos flores metunt, & suaves herbas ore legunt, non incassum laborant, sed dulcem tibi escam præparant, & mella tenacia fingunt. Tu vero, quid tandem perficis, quod tibi, quod aliis prodesse possit? Nihil, nihil plane. Quidquid enim legisti aut percepisti, non animo hæret, non in succum & sanguinem vertitur, sed statim effugit rerum imago.

Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

Vides igitur, mi homo! quam vana sit levitas tua, quantumque inde capias detrimenti. Nunc vero animum adverte, & *causas* tanti mali mecum cognosce. Dicam enim, quod sentio, libere, & si minus

*) Lucret. l. 3. ix.

minus tibi placuerit, vera tamen iis dixisse videbor, qui recte de his rebus judicare sciant.

Primum itaque, quod eos, qui litteris operam dant, desultorios atque volaticos reddere solet, est nimius ardor & vehementia, qua juvenes præsertim abripiuntur. Nondum enim hæc ætas robore & viribus satis pollet, ut diligentiam acriorem sustinere valeat. Quo fit, ut in omnem sese levitatem effundant iuvenes. Nulla in iis est constantia, nulla gravitas. Equitare, gladium vibrare, saltare, venari, & otiosissimis occupationibus tempus perdere non erubescunt; in litteris autem vivere, atque inter nutriculas pueritiæ adolescentiæque dulcissimas sodales, Musas, ætatem consumere nolunt. Quamobrem hinc inde vagantur, nihil intactum relinquunt, omnia vero vix primis labris degustant, & sapientiam, cujus studium profitentur, non aliter hauriunt, quam canis aquam e Nilo. Egregie, ut solet, de iuvenili hac levitate HORATIUS ait: *)

Imberbis iuvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque, & aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aeris.
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.

Quod dum cogito, in mentem venit illud BACONIS VERULAMII dictum, qui *juvenum ingeniis non plumas aut alas, sed plumbum & pondera addenda*

*) De arte poet, v. 163.

da esse, contendit, ne scilicet præpropera festinatione abripiantur, & solidæ, quam appetunt, eruditioni impedimenta ponant.

Sequitur *altera* desultoriæ levitatis, qua eruditi laborant, causa, quam a naturæ quodam vitio petendam esse existimo. Sunt enim haud pauci, qui naturâ omnis attentionis pertæsi sunt, &, quoniam a seriis abhorrent, semper jocantur, ludunt, rident, & facetiis nugisque abundant. Lepidi sunt hi homines, ideoque non statim dimittendi. Quare ut eos propius cognoscatis, sistite vobis, mei lectores, delicatulos illos & elegantes homines, quos gallico nomine *Petit Maitres* vocamus, & in quibus expressam stolidæ levitatis effigiem videmus. Hi semper cuticulam suam ingeniose curant, in mollitiis deliciisque ætatulam agunt, calamistrata coma per plateas volitant, pileolum sub brachio gestant, interdum uno pede saltant & ore aliquid pipiunt, mox in speculo formam suam & buccas belle purpurissatas contemplantur, denique venuste jocantur & mira linguæ volubilitate aliquid blaterant. O! belliſſimi homines, quæ vos tam læta tulerunt secula! Placetis hercle; nam satis lepidi estis, & ad risum mouendum egregie compositi. — Sed jam non animus est, suave hoc & festivum mortalium genus exagitare; ideo enim in scenam illud produximus, ut eorum imaginem exhiberemus, quos natura leves

& inconstantes finxit. Quod itaque venustulorum hominum coetus in rebus ad elegantiam & ornatum corporis pertinentibus facere solet; id in excolendo ingenio committunt ii, qui vaga mente ad scientias accedunt, nec cogitationes in una aliqua re defigere possunt. Hi enim animo plerumque peregrinantur. Non attendunt ad ea, quæ cum maxime aguntur. Quidquid perceperunt, statim elabi patiuntur ac oblivioni tradunt. Ad interiora atque ea, quæ in rebus ipsis præcipua sunt, nunquam penetrant; in externis autem & quasi in cortice rerum perpetuo hærent. Seria negotia, simulac susceperunt, statim relinquunt, & ad alienissima quæque avolant, quæ mox quoque sordent atque vilescunt. Hæc itaque animorum indoles, quid aliud in addiscendis disciplinis gignere potest, quam desultoriam illam levitatem, de qua nunc sermo est.

Oritur *quoque* hoc vitium ex ambitione quadam, qua isti homines videri volunt omnia celeriter percipere. Quo ipso aucupantur illam Phormionis laudem apud TERENTIUM:*)

Ego hominem callidiorem vidi neminem:

Vix dum dimidium dixeram, intellexerat.

Parum hi homines absunt ab iis, qui, ut arcana regum scire videantur, de rebus maximi momenti de-

*) Phorm. act. 4. sc. 2.

decernunt, de pace & bello disputant, exercitus ducunt, proelia committunt, multa denique manuum iactatione in adversarios declamant. Idem fere faciunt, qui, si Dîs placet, mentem sagaciſſimam omniaque celerrime arripientem habent. Dum enim ingeniolum suum admirantur, & ardua atque abstrusa quæque alte penetrare sibi videntur, fieri non aliter potest, quam ut vix cognita artis definitione omnem statim artem hausisse existiment, & quam primum in disciplinas deveniunt, qua sunt arripiendi facilitate, illas perspiciant, intelligant, diiudicent. Ex quo illud consequitur, ut res graviſſimas levi brachio transeant, de omnibus temere pronuncient, &, quæ nunquam didicerunt, disputent tamen aliisque persuadeant. Itaque eos, quos paullo cautiores aut tardiores vident, supercilioſe contemnunt, nec operæ pretium existimant, in addiscendis aliorum sententiis tempus conterere. Quæcunque enim alii aut dicunt aut scribunt, ea quidem putant esse ex eorum numero, quorum falsitas & stultitia vel obiter legentibus pateat. Quæ cum ita sint, nihil profecto est, quod miremur, sagaciſſimos hos homines (id enim esse volunt) nimia festinatione ferri & ad desultoriam leuitatem delabi.

Solent *etiam* ad hoc vitium paullo procliviores esse, qui alacre habent ingenium, eximiasque animi dotes. Laudari in his id quidem potest, quod

ad

ad res impeditas difficilesque nullo fere negotio viam ſibi muniant, & ardua quæque non appetant ſolum, ſed etiam, ſi aſſiduitatem adhibere velint, facile ſuperent. Ab hac autem aſſiduitate haud pauci eorum abſunt, quibus benignior natura miram intelligendi vim conceſſit. Diuturnum ſcilicet laborem formidant; & viribus ſuis confiſi, non ea utuntur diligentia, qua ad magna eniti ac profundæ eruditionis laudem conſequi poſſent. Quo fit, ut rebus iucundis & parum profuturis iuſto plus delectentur, animumque huc illuc errantem non ſeriis altisque cogitationibus impleant, ſed ſvavi varietate demulceant, & a ſtudiis deſtinatis revocent. Itaque non eam diſcendi rationem ſequuntur, quam in iis iuvenibus ſæpe videmus, qui non tanta ingenii celeritate pollent. Hi enim, diligentiæ ſtimulis excitati, animo excolendo ſummopere incumbunt; &, quod natura negavit, aſſiduo labore impetrare ſtudent, ita ut eos, qui ad magna nati videbantur, longo poſt ſe intervallo nonunquam relinquant.*) At præclara ingenia, quanto

*) Illuſtre huius rei exemplum habemus in THUANO, præſtantiſſimo Hiſtoriarum ſui temporis ſcriptore. Is enim, cum adhuc iuvenis eſſet, non infirma ſolum utebatur valetudine, ſed etiam vacillantem memoriam & parum alacre promtumque habebat ingenium. Nihilo tamen ſecius indefeſſa diligentia id eſt aſſecutus, ut inter eruditos ævi ſui eminneret, librisque in lucem editis laudem ſibi compararet nunquam interituram. V. THUANI Comment. de vita ſua. Lib. I.

quanto sunt superiora, tanto facilius peccant, & nimia sui fiducia perverruntur. Quod sensim erat præstandum, uno quasi impetu effundunt; & festinationis cupiditate abrepti, non rebus peragendis immorantur, sed in summis earum apicibus fastigiisque hærent, nec, dum per varios literarum campos discurrunt, ad utilia & difficiliora cogitationem satis demittunt.

Ultima huius vitii causa, quæ primo loco nominanda erat, est immoderata quædam sciendi cupido & portentosæ polyhistorias pruritus, qui, quam desultoria eruditorum ingenia reddat, dici vix potest. Hi litterarum helluones in doctrinas se ingurgitant, & insatiabili voracitate omnia arripere satagunt. Ac sicuti malus Calabris in saltibus serpens, tum, cum asper est siti, atque exterritus æstu,

— — *piscibus atram*
Improbus ingluuiem, ranisque loquacibus explet; *)

sic hi homines, nescio quibus monstris, animum pascunt & obuia quæque deglutiunt. Rudem itaque & indigestam confusæ materiæ molem corradunt, atque vehementiori æstu abrepti, per omnes disciplinas aut earum potius extremitates peruolant. Nec etiam id agunt, ut profundam rerum cognitionem sibi comparent; sed ut per ora hominum vo-

*) Virgilius Georgic. l. III. v. 450.

volitent, atque oceanus omnis eruditionis habeantur. Hinc sine ordine, sine nexu studia tractant; alienissima coniungunt, conjunctissima vero separant. Solent enim hi homines uno eodemque die nunc ad Philosophiam excurrere, nunc lapides adesos codicesque a muribus arrosos rimari, nunc ex historia aliquid delibare, nunc Aesopi fabulas evolvere; quo ipso id tandem efficiunt, ut, dum spirans bibliotheca esse volunt, vivum aliquod chaos exacte referant. Vides itaque, quam parum sibi constent, quamque desultorie res suas agant, qui vastæ ac portentosæ eruditionis pruritu vellicantur. Non enim *multum*, sed *multa* discere volunt, ideoque, ut omnem litterarum farraginem undique conquirant, tanta celeritate discurrunt, quantam vix in Lada, perniciissimo Alexandri cursore, admirari licet,

Qui vel intactae segetis per summa volaret
Gramina, nec cursu teneras laesisset aristas,
Vel mare per medium fluctu suspensus tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret aequore plantas.

Satis mihi multa de causis desultoriæ levitatis dixisse videor; restat, ut doceam, quanta hinc oriantur *damna*, quantæ calamitates. Atque hic quidem tanta se mihi malorum seges offert, ut infinitum foret, omnia enumerare. Quamobrem præcipua tantum delibabo. *Primum* igitur, quod desultoriis ingeniis imminet, damnum hoc est, ut,

quia

quia leviſſimo ſaltu omnia tranſeunt, ſemper in ſuperficie rerum haereant, nec facile ſolidam, accuratam promtamque eruditionem aſſequantur. Quæ enim eſt eruditio accurata? Nempe ea, quæ illos ipſos, e quibus ducitur, fontes non leviter delibauerit, ſed hauſerit penitus; quæ ſevere ſit ad diſciplinæ cujusque leges exacta, diligenterque conformata, tota denique directa ad certam aliquam normam, ut nusquam peccet, nusquam titubet, aut incertis ſedibus vagetur, ſed ſemper habeat, quod ſpectandum ſibi, quod fugiendum expetendumue putet. Hanc itaque eruditionem, quomodo aſſequi poſſint leves illi & volatici homines, non video. Etenim in omni ſcientia hoc primum eſſe debet, ut ſit certa, & firmitate quadam atque conſtantia gaudeat, ſine qua aut nulla aut certe vaniſſima eſt eruditio. Illud ipſum autem certum, quomodo locum habere poteſt in iis rebus, quæ non ex ipſis fontibus hauſtæ ſunt? Quomodo is vere doctus exiſtimari poteſt, qui, quæcunque ſcit, leviter tantum & ex parte aliqua cognovit? Nec mirum. Quod enim in militibus videmus, qui in bellum profecturi, maximis itineribus totas regiones emetiuntur, per urbes graſſantur, flumina montesque ſuperant, atque e tanta rerum contemplandarum multitudine parum aut nihil memoriâ tenent: aut quod iis accidere ſolet, qui muſeum aliquod tabulis pictis egregie exornatum ingreſſi, curſim omnia tranſeunt, ea vero, quæ in iſtis ipſis

tabulis

tabulis splendida & admiratione digna sunt, cum ignarissimis sciunt; idem iis eveniat, necesse est, qui per omnes litterarum provincias transvolant & desultorie hinc inde vagantur. Fit enim plerumque, ut, qui nimis multa comprehendere volunt, aut nihil comprehendant, aut, quæ arripuerunt, non recte intelligant, adeoque iustas levitatis suæ pœnas luant.

Quæ quidem levitas *aliud* adhuc secum fert damnum, quod silentio prætermittere nequeo. Sunt nimirum volatici hi homines, qui magnos haud raro spiritus sibi sumunt, ad rixas & digladiationes admodum proni. Horum iudicio si stare nolis, paratæ lites. Semper arma in promtu gerunt, & cum argumentis, quæ vim & mucronem non habent, vinci non potes, aures horrenda voce obtundunt, terram pede quatiunt, torvis oculis te intuentur, digitos concrepant, forsan etiam alia auxilia parata habent. — Ne rideas, mi lector; nam seria res est, &, qui tam insolenter te provocant, cataphractum pectus & triplici ære munitum habent. Quo etiam carere non possunt, quia de omnibus audacter pronunciant, & ea se capere putant atque adeo gloriantur, quæ non capiunt. Hanc vero ostentationem mecum ride; hanc mentis levitatem mecum paulisper exagita. Quid enim stultius esse potest, quam ea profiteri, quæ non habeas; & inanem divitiarum gloriam tibi vindicare,

care, cum egenus sis Iroque pauperior? Habet quidem etiam solida atque parata doctrina hoc, ut gloriam appetat, & non modo in lucem prodire ac conspici velit, sed etiam profundere sese & cum quamplurimis communicari gestiat: ii vero, quorum ingenia volatica sunt & superficiaria, quique omnia raptim transcurrunt, hi, inquam, quid tandem habent, quod in aspectum lucemque proferre possint? Aut si habent; quid est, cur tantopere exardescant? cur in aciem prodeant, &, si cedere nolis, in rabiem furoremque agantur? Hos audaculos punire nulla re magis potes, quam si eos contemnas & leni risu excipias. Hoc eis febris erit; hoc atram bilem movebit; hoc ilia disrumpet. Duræ sunt, fateor, duræ sunt hæ poenæ, satisque acerbæ; at sunt tamen iustæ, quibus homines isti a temeritate ad prudentiam, a levitate ad constantiam firmitatemque revocari debent, qua quidem in litterarum cultoribus nihil fere præstantius est & amabilius. Hanc itaque firmitatem sectamini, hanc colite, carissimi iuvenes! Fugite autem stolidam illam levitatem, atque eorum hæresin detestamini, qui cum omnia scire satagant, studium tamen suum vanitati & pernicioſissimæ curiosítati tradunt. Fugite eos, qui undique discurrunt, & magnum scientiarum

æquor pererrant, atque in ampliſſimum naturæ rerumque publicarum theatrum exſpatiantur, avida mente hauſturi, ſi quid ibi deprehenderint non antea cognitum. Fugite, inquam, hos homines, qui ad vana plerumque dilabi ſolent, adeoque pueros imitantur, qui trochos, pilas & id genus ludicra avidiſſime arripiunt, utilia vero negligunt.

DE

STOLIDA DOCENDI

RATIONE

PROGRAMMA.

Quod ægrotis accidere ſolet, quorum valetudinem ad deterius inclinatam non uno modo confirmant medici: aut quod in militibus videmus, qui, quoties novos duces obtinent, toties fere nova imperia & a priſtinis diverſa ſequi coguntur; id iuvenibus etiam evenit, qui optimarum artium ſtudiis innutriri cupiunt. Alii enim eos habent ſtudiorum moderatores, quos ab officio ſuo vel voluptas revocat vel otium retardat; alii iis utuntur ducibus, qui ipſi infirmo adhuc gradu incedunt, nec raro titubant & hallucinantur; alii ad eos deferuntur magiſtros, qui iuvenibus ſuis avare & crudeliter imperant; pauciſſimis vero tam felicibus eſſe licet, ut eorum tradantur diſciplinæ, qui teneras adhuc mentes ſapientiæ virtutisque ſeminibus implere & poſſunt & volunt. Quæ iuvenum calamitas, ſi non plane evitanda, certe dolenda eſt & optimo cuique deploranda. Quanta enim, bone Deus! ex perverſa iuvenum inſtitutione oriuntur mala, quæ primo quidem occulte ſerpunt, mox in lucem prorumpunt, denique ita creſcunt & diſſeminantur, ut opprimi nullo pacto poſſint. Doleo itaque ac vehementer angor, cum iuvenes video, qui præceptorum culpa huc illuc trahuntur, quique, poſt improbos multorum annorum labores exantlatos, cruda ta-

men ſtudia in academiam protrudunt. Nec mihi perſuadere poſſum, litterarum gloriam virtutisque decus ab iis hominibus promoveri, qui quidem ingenuas artes profitentur, aut litterarum elementa docent, ſed rationem docendi cum ignariſſimo quoque ignorant. Quid enim? Nonne ſtolidi hi duces innumeras ſæpe nectunt difficultates, & iuveniles animos dererrent magis, quam exacuunt & præclararum rerum ſtudio accendunt? Nonne inanibus fabellis, nutricum more, animos ducunt, virtutem vero atque doctrinam negligunt? Nonne, verborum floſculis contenti, a ſapientiæ theſauris iuvenes arcent & ſic exitiale aliquod damnum litteris infligunt? Quæ omnia, quo certiora ſuht & majora, eo vehementius me excruciant & tantum mihi dolorem inurunt, quantum ferre animus juvenum ſaluti deditiſſimus vix poteſt. Quod ne magnificentius quam verius dictum videatur; age, nunc ipſa illa pædagogorum vitia contemplemur, & *ſtolidam docendi rationem* examinemus. Eſt vero hæc cauſa eiusmodi, in qua oratio nemini deeſſe poteſt; quare non mihi tam copia, quam modus in dicendo quærendus eſt.*)

Agmen

*) Non itaque de ipſa formandorum ſtudiorum ratione ſeu methodo, ſed de quibusdam illius vitiis diſſerere animus eſt. Sunt enim plurimi ſcriptores, qui de ſtudiorum methodo erudite & copioſe præceperunt, quos inter principem facile locum obtinent Claudius Fleury *du Choix & de la*

Agmen ducant ii, *qui omnia ad memoriam referunt, eamque totis vocabulorum, distinctionum, regularum, exceptionum & terminorum plaustris onerant.* In quo vitio quantum stolidi-tatis insit, dici vix potest. Licet enim ingenue fatear, exercendam esse memoriam, cuius maximus est in omni vitæ genere usus: licet etiam hoc concedam, neglecta memoria aut non satis bene constituta, omnes cæteras animi dotes claudicare; nunquam tamen a me impetrare possum, ut iis assentiar, qui de animis iuvenum excolendis & a stultitia ad sapientiam traducendis parum solliciti sunt, memoriam vero ingenti nugarum mole obruunt, & ita effarciunt, ut, quæ retinere recusat, minis interdum verberibusque inculcent. Psittacorum hæc est institutio aut picarum, non hominum, qui omni disciplina eruditi & statim ab ineunte ætate sic instituti debent, ut nascentis iudicii scintillæ excipiantur, excitentur, foveantur. Mirum ergo videri nequit, stolidam hanc, aut, si mavis, brutam docendi rationem, licet inertiam præceptorum egregie alat, prorsus tamen inutilem esse iuvenibusque perniciosam. Qui enim insignes

la methode des etudes, Baptista Guarini *de ordine docendi & studendi*, Thomas Crenius, qui multos huius generis scriptores tribus tomis collectos a. 1692-98. edidit, &, qui primo loco nominandus erat, Rollinus in elegantissimo libro *de la maniere d'enseigner & d'etudier les belles lettres.*

habent animi dotes celeresque ingenii motus, non modo retardantur, sed etiam ab optimarum artium studiis deterrentur, cum levibus minimeque frugiferis rebus caput onerari vident. Qui vero ingenium habent pingue, obtusum & iners, misere quidem excruciantur, sed incassum laborant. Quo etiam fit, ut ex eiusmodi institutione nonnunquam prodeant homines, multis quidem vocabulis onusti, a meditando autem alieniſſimi; qui quidquid loquuntur, scribunt, differunt, non ipsi intelligunt & cogitant, sed recordantur & meminerunt. Hoc autem mortalium genus, quid quæso commodi ad rempublicam litterariam afferre, aut qua ratione optimarum artium studia promovere potest? Mihi quidem illi plus didiciſſe videntur, qui, quæ intelligunt, qualitercunque balbutiunt, quam ii, qui, quæ non intelligunt, celeriter, prompte & expedite recitant.

Venio ad eos, *qui in formandis iuvenum studiis non ad genium ſeculi attendunt*, nec ea studia tractant, quæ nunc excoluntur & vigent. Sua enim singulis ætatibus est ingeniorum fœtura; sunt artium temporarii proventus, ita ut, quæ nunc laudantur & florent, mox vituperentur atque seneſcant, rursus autem velut ex novo semine progerminent ac posſtgenitis vehementer arrideant. Ex quo facile intelligitur, quid sit *genius ſeculi*, quem definimus per periodicam litterarum mu-

mutationem, qua, certa ſtudiorum genera huic illive populo intra definitum aliquod temporis ſpatium mirifice placent, alio autem tempore vilipenduntur, & rurſus alio ſpiritum quaſi recipiunt atque e tenebris protrahuntur *). Quæ doctrinarum frequens ac mobilis viciſſitudo, licet magnum perfecti operis impedimentum eſſe poſſit **); tamen ex eo genere eſt, ut non neceſſaria ſolum, ſed etiam utilis eſſe videatur. *Neceſſaria* quidem, quoniam ea eſt humani ingenii indoles, ut ſemper novum aliquid anquirat, in quo eminere poſſit, & nunc æmulatione, nunc invidia, nunc admiratione ad nova ſtudia accendatur; *utilis* vero, quia, ſi eædem ſemper colerentur artes, non modo eruditionis gloriæque campus non ſatis pateret iis, qui excurrere in eo & ad maiora niti cupiunt, ſed etiam plurima ſtudia, (nam omnia ſimul florere nequeunt,) aut negligerentur, aut ſocordius tractarentur. Sed de his omnibus alio tempore dicam, & ita dicam, ut *genio ſeculi* neque vera utilitas detracta, neque falſa afficta eſſe videatur. Iam vero ad eos redeo, qui in iuuentute erudienda a genio ſeculi plane recedunt, & vetuſta quæque,

*) Vid. AYRERI Diſſ. *de comparatione eruditionis antiquæ & recentioris*, quæ adiuncta eſt BLACKWALLII Comm. *de præſtantia auctor. claſſicorum.*

**) VELLEIUS PATERCULUS *Hiſt. Rom.* lib. 1. c. 17.

quantumvis obſoleta & dudum explosa, exoſculantur. Videbis nimirum haud paucos, qui Chriis Aphthonianis tanquam vinculis ſe ſuosque conſtringunt; qui Scholaſticorum tricis & iis omnibus, quæ in ſpem futuræ oblivionis diſcuntur, iuuenes torquent; qui vernaculam linguam, quam patrum memoria parum excultam fuiſſe ſciunt, ſtolide negligunt; qui Poëſin, Oratoriam, Phyſicam cæterasque diſciplinas, quæ olim ex ſcholis exulabant, nunc quoque longe a cathedra ſua arcent; qui bonæ cuique methodo, dummodo nova ſit, cornua obvertunt & frenum mordent. Neſcio ſane, quo tandem nomine inſignire debeam eos, qui abſonam hanc docendi rationem ſequuntur. Num ſtolidos appellem, quia iuuenum ſaluti inſervire neſciunt? An pertinaces, quia obſtinate defendunt id, quod defendi non debet? An denique ſuperbos, quia multum ſibi ſapere videntur, & glorioſius de ſe rebusque ſuis exiſtimant? Certe non uno modo peccant hi homines: quo etiam magis vituperandi ſunt, &, ſi fieri poſſit, ab errore ſuo liberandi. Interim ille ego non ſum, qui affirmare audeam, genium ſeculi ita eſſe ſervandum, ut ne latum quidem unguem ab eo recedatur. Improbus enim interdum eſſe ſolet hic genius, qui humanas mentes haud raro ad ea ſtudia incitat, quæ vel inutilia ſunt, vel paucis proficua. Cautione igitur & circumſpectione opus eſt,

quæ,

quæ, nisi adhibeatur, plurimis nos implicat difficultatibus *).

Prodeant nunc ii, *qui profusissima in docendo prolixitate utuntur, iuuenesque non recta via, sed per ambages & mille quasi mæandros ducunt.* Oritur autem hoc vitium plerumque ex insana eruditionis ostentatione & inclarescendi pruritu, qui ingentium malorum fons est & scaturigo. Quos enim gloriola titillat laudisque dulcedo inescat, ii ampliſſimis digressionibus prælectiones suas onerant, vastissima argumenta aggrediuntur, in explicando CICERONE, MANUTIUM, GRÆVIUM & sexcentos alios expilant, nec multum sane a circumforaneis differunt, qui magnis clamoribus & ingenti verborum profusione præeuntem turbam ad coëmendas merces invitant **). Si nihil aliud agerent hi homines, quam ut longius divagarentur & sinuosis narrationibus omnia implerent, satis quidem stolida ipsorum docendi ratio colligi hinc posset; sed sunt alia adhuc eaque longe maiora, quæ tacitus nullo modo præterire possum. Qui enim prolixe cumulateque omnia faciunt, tantum abest,

*) Vid. GESNERI *Diss. de vi consuetudinis in stud. litterar.*, in Opusc. min. T. I.

**) Egregie eos omnes, qui vanam ubique gloriam aucupantur, depingit PAGANINUS GAUDENTIUS *de cauponibus famæ*, quos etiam in elegantissimis *de genio seculi* deque *moribus eruditorum* libris passim exagitat KLOTZIUS.

abeſt, ut iuueniles animos vere erudiant, ut potius pretioſiſſimis iuuentutis annis, a quibus futura ſalus pendet, peſſime abutantur, & tandem eiusmodi tirones e ſcholis ſuis dimittant, qui eruditione, ſapientia, virtute iisque omnibus deſtituti ſunt, quæ hominem liberaliter educatum ornant. Nec hoc valde mirum. Namque nugatores iſti, quorum omnis virtus in oſtentanda arte poſita eſt, eo plerumque ſtoliditatis procedunt, ut magno conatu maximas nugas agant. Quo fit, ut ad perpoliendos iuvenum animos nihil afferant, quia parvis in rebus contemnendisque verſantur. De quibus neſcio, an idem dici queat, quod de Philoſophis ſuæ ætatis ait LUCIANUS: Πάντες περὶ ὄνυ σκιᾶς μάχονται· οἱ φιλοσοφυντες, *omnes philoſophi de umbra aſini depugnant.* Fuerunt autem huius generis homines inter eos, qui eruditi vocantur, haud pauci, qui maximas de rebus nihili tragoedias moverunt, quique ſumma animorum contentione diſputarunt: fueritne piſcis, qui Ionam deglutiit, mas an foemina? num hoedus tot habeat pilos, quot caper? quæ fibularum Romanarum forma fuerit? & ſexcenta alia, quæ, quoniam inutilia ſunt, felicius ſane ignorantur. Certe huiusmodi lites inter SCALIGERUM & CARDANUM, nec non inter FRISCHLINUM & CRUSIUM, alios-

que

que complures obtinuisse constat *). Quorum nugas dum cogito, in mentem venit MARTIALIS illud:

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

Hoc igitur vobis etiam dictum scitote; hoc diligenter vobiscum perpendite, quotquot in erudienda iuventute iusto prolixiores estis, nec auream illam HORATII regulam sequimini: **)

Quidquid præcipies, esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles.
Omne supervacuum pleno de pectore manat.

Sed

*) Vid. WERENFELSIUS *de Logomachiis eruditorum* p. 5. SENECA. *epist.* 88. Transscribam huc, quoniam non inutile, certe iucundum esse videtur, quædam FRISCHLINI verba, ut intelligatur, quantum semper inter eruditos fuerit minutiarum studium, quantus dimicandi furor. Ita vero ille: *Licuit Crusio per convicium dicere me sycophantam, sophistam, porcum, furiosum aprum & quid non? Liceat ergo mihi iuste & ex ipsius merito dicere sycophantam, & nebulonem, & asinum & hominem nequam.* Ac paullo post. *Ecquid vos pudet, ea, quæ ad syntaxin nominum pertinent, referre ad quartam regulam de syntaxi verborum, loco alieniſſimo? Quæso te, mi Crusimusissime Crusimusi,* (ita lepide Crusii nomen transformat,) *quid est virulentiæ, quid acerbitatis, quod dixi, vos omisisse in syntaxi verborum cum genitivo casu verba significantia motum de loco, & in etymologia omisisse nomina montium e prima regula?* Vid. FRISCHLINI *Strigilis gramatica.*

**) *De arte poëtica* v. 335.

Sed quoniam ea eſt mortalium indoles, ut incidant in Scyllam cupientes vitare Charybdin, peropus eſſe videtur, ut eos quoque exagitemus, *qui, dum nimiam in docendo prolixitatem vitare volunt, celeritatem adhibent & omni feſtinatione deproperant.* Hanc vero præcipitatam docendi rationem, quis eſt, quin mecum damnet atque e bonarum artium officinis exterminandam iudicet? Male ſcilicet cuncta miniſtrat impetus, nihilque ſolidi diſci poteſt, ubi ſuperficiaria opera artes tractantur. Quæ enim raptim diſcuntur, tangunt illa quidem animum, ſed non penetrant, non infixa ſedent, non penitus immiſſis radicibus nituntur, nec perveniunt ad frugem, ut, quæ ſummo ſolo ſparſa ſunt ſemina, celerius quidem ſe effundunt, ſed inanibus ariſtis ante meſſem flaveſcunt. Vera autem virtus ſudore paratur: ac ſicuti corporis exercitia non niſi diuturnitate temporis multaque iteratione perficiuntur; ſic etiam animus longa exercitatione acui iisque artibus imbui debet, quæ uno ſpiritu hauriri nequeunt. Quare non audiendi ſunt, qui litteras deſultorie tractant, vel quibusdam ſtudiorum ſimulachris ad pompam uti volunt. Hi enim homines, cur ſtudia præcipitent, in aperto eſt, quoniam ſcilicet umbram eruditionis tantum conſectantur, & ſolis titulorum phaleris famam aliquando ſuſtentare cupiunt. Ac ne quis in re tam manifeſta, quæ rationibus infir-

mari nequit, ad teſtimonia provocet & CRASSUM nobis opponat, quem dixiſſe ſcimus: *Qui non cito quid didicit, nunquam omnino poteſt, perdiſcere;**) ultro quidem fatemur, erroneam eſſe hanc ſententiam & a PETAVIO dudum explo-ſam.**) Ut enim omittam, ea, quæ raptim peraguntur, mox evaneſcere atque ex animo elabi; facile etiam patet, quod rariſſime adeo felicibus eſſe ingeniis liceat, ut exiguo tempore magna multaque comprehendant. Quot enim fuiſſe exiſtimas HEINSIOS, GROTIOS, SALMASIOS, BARATIERIOS, GOENSIOS, ***) qui ſingulari ac pene divino ingenio ſatis mature aditum ad litteras ſibi aperuerunt?****)

Sequitur, ut de iis breviſſime dicam, *qui lenitate ac manſuetudine uti neſciunt, ſed, quidquid docent, durioribus verbis plagisque inculcant*, ac ſi memoria puero non conſtiterit, aut oculis in legendo hæſerit, ſtatim exardeſcunt, clamant, conviciantur atque verberibus in iuvenum terga deſæ-

*) CICERO de Oratore lib. 3. c. 36. MORHOF *Polyhiſt.* T. 1. lib. 2. c. 8.

**) DIONYSII PETAVII Orat. *de diſcendi ratione.*

***) Hic enim nondum decimum quintum ætatis annum egreſſus, librum *de Cepotaphiis*, ſ. ſepulchris hortenſibus ſcripſit, quem laudat KLOTZIUS *Actor. Literar.* Vol. 1. p. 71.

****) Ingeniorum, quæ vocantur, præcocium hiſtoriam plures perſecuti ſunt, in quibus eminent ADR. BAILLETUS, KLAUSINGIUS, GE. HENR. GOEZIUS & KLEFEKERUS.

desæviunt. Horum vero stoliditatem, aut, si mavis, insaniam ostensurus, video me sapienter facturum, si ad SENECAM provocem: quis enim illo dicere potest suavius? Ita vero ille: "Uter præ-
"ceptor liberalibus studiis dignior, qui excarnifi-
"cat discipulos? an qui monitionibus & verecun-
"dia emendare ac docere malit?" — Numquidnam
"æquum est, gravius homini & durius imperari,
"quam imperatur animalibus mutis? Atqui equum
"non crebris verberibus exterret domandi peritus
"magister. Fiet enim formidolosus & contumax,
"nisi eum tactu blandiente permulseris.*)„ Nec tamen ab omni castigatione abstinendum arbitror, tum quia impunitatis spes maxima est peccandi illecebra, tum quia præceptores sæpenumero medicos imitari coguntur, qui magna mala atque inveterata, ne longius serpant, ferro exscindunt. Sit autem omnis castigatio moderata, sincera, nullis cupiditatibus mixta, nec modum excedat atque in sævitiam degeneret. Quod cum fit, duplex committitur error. Unus, quod asperrima hæc disciplina iuvenes haud raro a musis abalienat atque discendi ardorem impedit. Alter, quod verberibus minisque non emendantur animi, sed depravantur. Cui enim mens est tam illiberalis, ut obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut pessima quæque mancipia, durabitur. Quamobrem egregie, ut solet, QUINCTILIANUS.

Cœdi,

*) SENECA *de clementia* lib. 1. c. 16.

Cædi, inquit, *discentes minime velim. Primum quia deforme atque servile est; deinde quod ne opus quidem erit hac castigatione, si assiduus studiorum exactor adstiterit. Denique cum parvulum verberibus coëgeris, quid iuveni facias, cui nec adhiberi potest hic metus, & maiora discenda sunt? Adde, quod multa vapulantibus dictu deformia & mox verecundiæ futura, sæpe dolore vel metu accidunt; qui pudor refringit animum & abiicit, atque ipsius lucis fugam & tædium dictat.**) Pertinebit itaque ad rem, præceptores pædagogosque pueris *placidos* dari, *cum nihil magnum sit, ni quod simul & placidum.***) Cuius rei illustre documentum habemus in SOCRATE, qui servum percussurus, *cæderem te*, inquit, *nisi irascerer*, ac castigationem in tempus sanius distulit.

Pergo ad eos, *qui omne tempus dictando exigunt*, & discentium calamo, quæcunque ex aliorum scriptis compilarunt, excipienda committunt. Ac nescio sane, quid in his hominibus, quos *Dictatores perpetuos scholasticos* vocamus, maxime vituperandum sit: num ignorantia? quæ pessima illa dictandi consuetudine tegi quodammodo potest;

*) *Institut. Orator.* l. 1. c. 3, cui addi possunt, quæ lib. 2. c. 2. de moribus & officiis præceptoris disputantur.

**) SENECA *de Ira* lib. 1.

poteſt; an ignavia? quæ hoc ipſo more, cui aliquod laboris allevamentum ineſt, egregie alitur: an denique vana eruditionis iactatio? quæ ad dictandum complures inducit. Hæc vero utcunque ſe habeant, negari tamen nullo modo poteſt, eſſe hunc dictandi morem ſuperfluum & pernicioſum. Licet enim fieri interdum poſſit, ut præceptores, vel neceſſitate coacti, vel utilitate permoti, obſervationes nonullas calamis excipiendas proponant; modus tamen adhibendus eſt, ne integra vaſtæque molis volumina dictentur, quorum hæc plerumque eſt ſors, ut a iuvenibus vel impia manu dilacerentur, vel capillis charta involuendis adhibeantur. Tum vero omnis eruditio, quam chartaceam recte dixeris, evaneſcit; tum tempus, quod dictando dilapidatur, fruſtra conſumtum eſt; tum nulla eſt dictatorum utilitas. Ac dici profecto nequit, quantula ſit & quam exigua utilitas, quam *dictatores* moleſte ſeduli ſomniant. Inducunt potius iuvenes in maximam fraudem, ac inæſtimable, quod utilius inſumi poterat, tempus perdunt. Quo fit, ut ad animum perpoliendum acuendumque iudicium nihil plane afferant, iuvenesque peſſime decipiant, qui denique ad patrios lares reverteruntur, non quidem ſolida eruditione inſtructi, nec ullo virtutis ſenſu imbuti, ſed magna chartarum mole onuſti, quam, ſi quis furto aufe-

rat, omnem ſimul ſapientiam aufert. Satis autem

multa

multa de perverſo dictandi more dixiſſe mihi videor, quem etiam dudum exagitavit Cel. BAUMEISTERUS, *) cuius magna in rem ſcholaſticam merita, qui ignoret, credo fore neminem.

Reſtat, ut ad eos nunc accedam, *qui laborum mole iuvenes onerant, nec ulla voluptate luſuque recreari eos patiuntur.* Quod vitium, licet non ad ipſam docendi methodum pertineat, laudare tamen nullo modo poſſum. Eripe enim iuvenibus omnes animorum remiſſiones, ad quas naturali quodam impetu feruntur; frange eos aſſiduis laboribus, ac omnes ab iis prohibe deambulationes aut ludicras corporis exercitationes; quid fiet? Mox certe defatigabuntur, animi alacritatem amittent, ſtudia exoſa habebunt, & te inſcio atque invito ad ea loca deproperabunt, ubi animus ex laborum ſtrepitu reficiatur, & aures obiurgationibus defeſſæ conquieſcant. Danda eſt igitur aliqua animi remiſſio; non ſolum quia nulla res eſt, quæ perferre poſſit continuum laborem, atque ea quoque, quæ ſenſu & anima carent, ut ſervare vim ſuam poſſint, velut alterna quiete retenduntur, ſed quod ſtudium diſcendi voluntate, quæ cogi non poteſt, conſtat. Itaque & virium plus afferunt ad diſcendum renovati ac recentes, & acriorem habent animum, qui fere neceſſitatibus repugnat.**)

*) *Exercitat. academ. & ſcholaſtic.* p. 179.

**) QUINTILIANVS *Inſtitut. Orator.* lib. I. c. 3.

Dici enim vix potest, quantos animus, corporis motu concitatus, impetus habeat, quantove cursu calamus fluat, otii intercapedine recreatus. De puerorum lusibus idem affirmare, quid vetat? Habent enim hoc iuueniles illæ oblectationes, ut non modo iuuenum mores voluntatesque deregant, verum etiam acuendis ingeniis inserviant, animumque alacrem reddant. Plura non addo. Satis enim demonstrasse mihi videor, assiduis laboribus non onerandos esse iuvenes, sed ingenua ac liberali voluptate interdum recreandos. De præceptoribus, qui ipsi honesto otio indigent, nihil dico. Quis enim tam a vero alienus, tamque iniquus est, quin eorum, qui iuuenilem ætatem doctrinis impertiunt, labores duros molestosque iudicet, de quibus idem fere dici poresť, quod CICERO, *Gracchum* refutans, de se ait: *An tu existimas, aut suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus? aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus?* *)

Si, quos mihi constitui terminos, eos transgredi vellem, multa adhuc eorum, qui iuuenes erudi-

*) *pro Archia Poëta* c. 6.

erudiunt, vitia perſtringere poſſem. Quid enim impedit, quo minus *eos* quoque ſub examen vocemus, qui iuuenum ingenia non rite diſcernunt, nec ſatis cogitant, aliter tractandos eſſe iuvenes alacres &, quæ docentur, facillime arripientes; aliter vecordes & obtuſos; aliter eos, quos laus excitat & obiurgatio mordet; aliter, qui imperia dedignantur &, niſi inſtiteris, omnem diſcendi voluntatem abiiciunt; aliter, qui aut feroces ſunt aut meticuloſi; bonisque præſertim ingeniis ſic obſequendum eſſe, ut in id, quo vocat natura, ducantur? *) Quid porro impedit, quo minus *eos* vituperemus, qui in auctoritatis præiudicium pueros coniiciunt, & quos diſſentientes ac immorigeros habent, nunc torvo vultu intuentur, nunc plagis miſere torquent; **) *aut* etiam *eos*, qui methodo ſocratica uti nolunt, atque continuo ſermone ita onerant iuuenes, ut vel tædio afficiantur, vel ad otium adſuefiant; *aut eos*, qui claſſicos, quos vocant, ſcriptores verborum tantum cauſa aut ad ſummum propterea etiam legunt, ut antiquitatis cognitio ex iis

 hau-

*) Vide QUINTILIANUM fuſius hac de re diſſerentem *Inſtit. Orat.* lib. 1. c. 3. lib. 2. c. 8.

**) Quod quam turpe ſit & ab omni boni præceptoris officio alienum, commonſtrat QUINTILIANUS *Inſt. Or.* l. 1. c. 3. pag. 17. edit. Geſn.

hauriatur; *aut denique eos*, qui teneras molles-que iuuenum mentes, neque ad pietatem exhortantur, neque virtutis igniculos in iis excitant, neque honeſti ſenſum acuunt, neque liberalitatem naturæ omni modo ſuſtentant? Sed de his omnibus differere nihil attinet. Sunt enim hæc vitia eiusmodi, ut vel me non monente intelligi queat, quanta ſint & quam perniciosa.

Com-

COMMENTATIO

DE

POETARUM LYRICORUM

INTER ROMANOS PAUCITATE.

MISCELLANEUM

Magna eſt, fateor, atque illuſtris Romanorum gloria, cuius in admirationem facile rapiuntur, quotquot res a victore populo magnifice olim geſtas non ignorant. Impetrare autem nunquam a me poſſum, ut Romam, quam orbis terrarum reginam, arcem omnium gentium & invidenduin aliquod fortunæ monumentum fuiſſe, nemo negat, eandem optimarum artium ſtudiis magnopere floruiſſe, aut adeo Athenas, omnium doctrinarum inventrices, ſuperaſſe credam. Quod ne temere atque ſine probabili aliqua cauſa pronuntiaſſe videar, ad ipſos Romanorum ſcriptores provoco, qui ingenii gloriam ad Græcos deferre non dubitant. CICERO enim, in quo tamen ipſo magna ingenii vis exſtitit, nonne, quidquid in dicendo poterat, id omne Græcis acceptum refert? *) HORATIUS, muſarum ille ſacerdos & ſoboles certiſſima Phoebi, nonne poeſeos omnisque litteraturæ amantes ad Græcos ablegat? **) VIRGILIUS

*) *Epiſt. ad Quintum Fratrem* l. 1. c. 9. Non enim me hoc iam dicere pudebit, — — nos ea, quæ conſecuti ſumus, his ſtudiis & artibus eſſe adeptos, quæ ſint Græciæ monumentis tradita. Adde *Tuſculan: Quæſt.* l. 1. c. 1.

**) *de Arte Poetica v.* 268.

Vos exemplaria græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.

denique, aureus & immortale ſonans, quem ipſa Græcia ſtupet pauetque, quamvis ingentem miretur Homerum *), Virgilius, inquam, nonne ex Homero, tanquam limpidiſſimo ingeniorum fonte, plurima hauſit, atque in divina Aeneide expreſſam Iliados imaginem rerulit? **) Veriſſima ſunt hæc omnia & luce clariora. Neque tamen ſilentio prætermittendum eſt, quod longe maior oratorum, poetarum, philoſophorum atque artificum excellentiſſimorum numerus inter Græcos reperiatur, quam inter Latinos; quodque eruditionis romanæ gloria vix ultra unius ſeculi fines progrediatur, apud Græcos autem per plurima ſecula fuerit

*) Sunt verba *Hieron. Vidæ*, qui Virgilium, ſummum ſane Poetam, ita collaudat, ut adeo affirmare non dubitet,

Unum illum ingenio præſtanti gentis Achivæ
Diuinos vates longe ſuperaſſe & arte.

(*Art. Poet.* l. 1. v. 170 ſeq.) Idem fere ſentit SCALIGER, qui *Poetices* lib. 3. p. 189 & 228. Virgilium poetarum regem ſolumque nomine poetæ dignum vocat. Quod quo pacto defendere velit, ipſe videat.

**) Non heri demum aut nudius tertius excogitata eſt hæc ſententia, ſed veterum adeo conſenſu firmata. MACROBIUS enim Saturnal. lib. 5. c. 2. aperte dicit, *omne opus Virgilianum velut de quodam Homerici operis ſpeculo formatum eſſe.* Quare etiam mirari non ſubit, elegantiſſimum auctorem *der litterariſchen Briefe an das Publicum* ep. 8. eandem ſententiam nuperrime defendiſſe, licet paullo liberius interdum pronuntiaſſe videatur.

fuerit celebrata. Facere itaque non poſſum, quin ad eos accedam, qui græcarum artium ſplendorem maieſtatemque Romanos nunquam conſequutos fuiſſe contendunt.*)

Quæ de univerſa Romanorum litteratura diximus, ad artem poeticam vel maxime pertinent. Hæc enim, dici vix poteſt, quam neglecta & fere contumelioſa fuerit apud veteres Romanos, præter rerum bellicarum laudem nullius rei cupidos. Certe antiquiori reip: ætate nullum poetis honorem fuiſſe, declarat oratio Catonis, in qua obiecit ut probrum M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxiſſet. Duxerat autem conſul ille in Aetoliam, ut ſcimus, Ennium. Quo minus igitur honoris erat poetis, eo minora ſtudia fuerunt.**) Honos enim alit artes, aut, quæ Platonis ſunt verba, ἀσκεῖται τὸ ἀεὶ τιμώμενον, ἀμελεῖται δὲ το ἀτιμαζόμενον. Atque hac optimarum artium negligentia factum eſt, ut ſerius poeticam acciperent Romani. Saliares quidem & Feſcenninos verſus habebant, aliisque carminum generibus, inter convivia de-

can-

*) Horum e numero eſt Ven. ERNESTI in Opuſculis oratoriis p. 113 ſeq. *Comes de* CAYLUS in *Memoires de litterature de l' Academie des Inſcriptions* Tom. XXIX. p. 239 ſeq. & KLOTZIUS in doctiſſimo libro, qui inſcribitur: *Beytrag zur Geſchichte des Geſchmacks und der Kunſt aus Münzen*, p. 104 — 115.

**) CICERO Tuſculan: Quæſt. lib. 1. c. 2.

cantari ſolitis, delectabantur, rudibus tamen illis atque inconditis, quorum nulla erat ſuavitas, nullus lepor.*) Recte igitur VARRO omnes illos verſus inter poemata non referendos eſſe judicat, quoniam vocibus tam barbaris conſtabant, ut adeo a Sacerdotibus non ſatis intelligerentur. Tandem vero melior Poeticæ affulſit fortuna. Devicta enim Carthagine & agreſti Latio græcarum artium ſtudiis exculto, magni prodierunt viri, doctrinæ ingeniique præſtantia memorabiles. LIVIUS quidem ANDRONICUS annis fere CCCCX poſt Romam conditam fabulas docere coepit, quas autem Cicero non ſatis dignas iudicat, quæ iterum legantur.**) Inclaruerunt deinde NAEVIUS, ENNIUS, CAECILIUS, PACUVIUS, ATTILIUS & PLAUTUS, omnes fere ſententiarum gravitate verborumque pondere conſpicui, quibus tamen nitor & ſumma in excolendis operibus manus defuiſſe vi-

*) Luculentum huius rei teſtimonium exhibet VARRO de lingua latina l. 6. c. 3. ubi hos legimus verſus.

Omnia dapatilia comiſſe iani cuſiones
Duonus ceruſes deinos ianos venet.

Quis vero eſt, quin hic ſuauitatem illam venuſtatemque deſideret, quam Ciceronis præſertim æuo conſequuta eſt Romanorum lingua.

**) *Cicero in Bruto, cap.* 18.

videtur.*) Neque hoc magnopere mirum. Præterquam enim quod ſermo latinus illa tempeſtate paullo aſperior erat & ab elegantia dicendique venere remotus, parum quoque honoris tribuebatur poetis, quippe qui magnam partem homines ſeruilis conditionis erant. LIVIUM enim, CAECILIUM, PLAUTUM & TERENTIUM ignobili loco natos fuiſſe quis eſt, qui neſciat? Nihilo tamen ſecius præclara fuerunt indole, quæ in pauperrimis & obſcuro ſanguine ortis eminere plerumque ſolet. Quidquid vero in illis erat ingenii & dexteritatis, id omne ad Tragoedias Comoediasque ſcribendas transferebant. Cuius rei cauſas aliquot reperiſſe mihi videor, de quibus deinde exponam. Nunc enim redeundum eſt in viam, & paucis ſignificandum, quæ poeſeos romanæ porro fuerit fortuna. Quo magis ſcilicet morum litterarumque elegantia ornabantur

*) QUINTILIANUS Inſt. Orat. lib. X. c. 1. p. m. 462. Maximam Ennio Accioque laudem tribuit OVIDIUS Amor. lib. 1. eleg. 15. v. 19. Accius vero magnum inde honorem conſecutus eſt, quod Decimus Brutus, ſummus ille vir & imperator, Accii carminibus templorum & monimentorum aditus exornauit ſuorum. CICERO pro Archia c. XI. Næuii, Pacuuii, & Plauti epigrammata, quæ ipſi fecerunt, & ſepulchris ſuis incidenda reliquerunt, ſeruauit GELLIUS *Noct. Attic.* l. 1. c. 24. En epigramma Nævii plenum ſuperbiæ:

Mortales immortales flere ſi foret fas,
Flerent diuæ Camoenæ Næuium Poetam.
Itaque poſtquam eſt Orcino traditus theſauro,
Oblitei ſunt Romæ loquier latina lingua.

bantur Romani, eo maior iis habebatur honor, qui ingenii laude præ ceteris excellebant. Itaque magno in honore esse coepit nomen Poetarum, quorum studia non uno modo excitabantur. Hoc enim consilio *collegium Poetarum* institutum fuisse legimus, cuius hic erat finis, ut, quibus benignior erat vena poetica, versus suos coram iudicibus recitarent, laborumque suorum interdum præmia ferrent.*) Hoc eodem consilio plurima *poetarum certamina* instituit Augustus, qui ipse eloquentiam studiaque liberalia ab ætate prima & cupide & laboriosissime exercuit, atque in templo Apollinis Palatini imagines litteratissimorum hominum erigi & scripta illorum reponi iussit.**) Quare ingens illis temporibus erat poetarum proventus, quorum celebratissima sunt nomina & ad omnem posteritatem transitura. Quis enim tam rudis est rerumque omnium ignarus, quin Horatium, Virgilium, Ouidium, Propertium, Tibullum, Fundanium, Varium, Plotium Tuccam***) alios-que bene multos cognoscat, quorum, si non scripta, certe nomina ad nos peruenerunt. Hos vero omnes ne quis immodica, ut fieri solet, ad-

*) Valerius Maximus l. 3. c. 7. §. 11. Ovidius Tristium l. 5. deg. 3.

**) Suetonius in vita Augusti, c. 29.

***) Horatius Satyr. l. 10. 42. Od. lib. 1. 6. Satyr. l. 5. 40. Plotium Tuccam omisit Vossius in doctissimo *de Poetis latinis* libro.

admiratione prosequatur, is sciat, celeberrimos, quos Roma habuit, poetas artificesque, Græ- rum vel imitatores fuisse, vel discipulos. Hora- tius certe imitatus est Pindarum atque Alcæum, Virgilius Homerum & Theocritum, Ouidius Apollonium, Terentius Menandrum, Lucretius Empedoclem. Neque hoc est dissimulandum, quod negari non potest, plurima scilicet Roma- norum instituta, quæ elegantioribus litteris pro- mouendis inseruiebant, a Græcis profecta esse. Quæ enim Græcis in usu erant *recitationes*, eas Romani quoque recipiebant, his potissimum causis moti: primum quod ipse, qui recitat, ali- quanto acrius scriptis suis, auditorum reuerentiâ, intendit, deinde quod, de quibus dubitat, ex sententia eorum, quos quasi in consilium adhibet, statuit. *) Quæ porro Græcis usitatissima erant ὠδεῖα siue ædes carminibus cantibusque exercendis dicatæ, (cuiusmodi Athenæ præsertim, Corinthus & Patræ habuerunt,) Romæ etiam a Domitiano & Traiano exstruebantur.**) Quæ denique a Græcis frequentabantur *certamina musica*, quibus *poetarum* quoque annumeranda sunt *certamina*, (quoniam tria apud veteres erant genera, quæ circa artem musicam versabantur, primum quod instrumentis agitur, secundum quod fingit carmina, terti-

*) Lege omnino PLINIUM lib. V. ep. 3.

**) SUETONIUS in vita Domitiani c. 5.

tertium quod opus carmenque diiudicat, *) hæc itaque certamina, sero quidem ac maxime post fata libera reipublicæ celebrata, summo studio Romæ æque ac in prouinciis colebantur. **) Quæ cum ita sint, dubitari profecto nequit, Romanos, si qua artium litterarumque laude floruerunt, eam omnem Græcis debere, & cognita demum ingeniorum græcorum pulchritudine, ad eloquentiæ, poeseos, picturæ ceterarumque artium studia accensos fuisse, ita tamen, ut a Græcis longo interuallo relinquerentur. ***)

Multa

*) Boethius de musica l. I. c. 2. Athenaeus Deipnosophist: l. 14.

**) Augustus quidem, quo celebratior actiacæ victoriæ memoria esset, ludos quinquennales apud *Actium* celebrari iussit; primus autem omnium *Nero* Cæsar quinquennale certamen more Græco Romæ instituit & *Neronia* appellauit, quem deinceps secuti sunt Domitianus, Traianus, Adrianus, Commodus, Seuerus aliique Imperatores Romani, a quibus certamina hæc *Traianea*, *Adrianea*, *Commodea & Seuerea* dicta fuerunt. Vid. *Suetonius* in vita Aug. c. 18. in vita Neronis. c. 12. *Alexander ab Alexandro* Dierum genialium lib. 6. c. 19. p. m. 707. & *Neue Bibliothek der schönen Wissenschaften*, Tom. VII. p. 214.

***) Non repugnant huic sententiæ, quæ Horatius lib. 2. epist. 1. v. 33. habet:

Venimus ad summum fortunæ. Pingimus atque
Psallimus & luctamur Achiuis doctius unctis.

Aut enim omnia me fallunt, aut hoc agit Horatius, ut eos exagitet, qui nimio antiquitatis amore feruntur,

Multa adhuc ſuperſunt, quæ accurato rerum iudici ampliſſimam dicendi materiem præbent. Hæc vero enarrare, nunc nihil attinet. Neque enim conſtitui, omnem latinæ poeſeos hiſtoriam exponere, ſed breviter indicare, quæ memoratu digna videbantur, reique meæ inſervitura. In quo tamen peragendo ſi paullo prolixior fui, facile veniam ab iis impetraturum me eſſe confido, qui in amoeniſſimum hunc campum nonnunquam excurrunt, vel inde animorum oblectamenta petunt.

Itaque nunc tandem ad rem ipſam accedo, quam examinandam ſuſcepi. Arduum ſane munus, atque a virium mearum tenuitate paullulum abhorrens; veruntamen dignum, in quo diligentiæ meæ neruos contendam. Non enim exiſtimare debemus, caſu aliquo & forte fortuna factum fuiſſe, ut tam pauci inter Romanos reperiantur Lyrici; ſed plurimis, nec ſane levibus argumentis evinci poteſt, *cur lyrica poeſis a pauciori-bus ex-*

culta

runtur, & vetuſtiſſima quæque optima eſſe contendunt. Hanc enim qui fouent ſententiam, æque magno atque ridiculo errore ducuntur, quam qui aſſerunt,

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri (*v.*32.)

vel qui adeo affirmare audent,

Venimus ad ſummum fortunæ &c.

Hoc autem affirmari a ſano homine vix poteſt, cum ipſi olim Romani, gloriæ licet auidiſſimi, Græcis palmam deferre nunquam dubitarint.

culta fuerit, atque in *uno fere Horatio* ad tantum euecta sit culmen, nihil ut ad perfectionem eius addi possit. Vehementer autem errant, qui, praeter Horatium, nullum inter Romanos vatem lyricum extitisse sibi persuadent. Quid enim? Adeone obscura sunt CATULLI, CAESII BASSI, TITII SEPTIMII, SPURINNAE, PASSIENI PAULLI, SALEII BASSI, aliorumque nomina, ut lyricis carminibus laudem aliquam olim sibi peperisse nesciamus? Sed operae pretium est, singulos examinare, ut, quae cuique debeatur laus, rectius diiudicari queat.

Et de CATULLO quidem, si a reliquis eius carminibus discesserо, pauca habeo, quae dicam. Licet enim praeter hunc videam neminem, qui lyricis carminibus scribendis ante Horatium inclaruerit; licet etiam haud infelix Sapphûs imitator a FABRICIO dicatur: *) vix tamen poetis lyricis est annumerandus. Quae enim scripsit carmina lyrica, vel pauciſſima sunt, vel e Graeco Sapphûs in latinum sermonem translata, vel ea indole, ut cum Horatianis conferri vix possint. Namque non rudiore solum colore vetustae poeseos imaginem ducit, versusque duriusculos haud raro inserit; **) sed eo quoque usus est carminum genere, ut rectius ad poetas iambicos quam lyri-

cos

*) Biblioth. lat. p. 51.

**) PLINIUS lib. I. epist. 16.

cos a DACIERIO referatur.*) Jambicus autem versus conuiciis maledictisque aptissimus, (est enim ἰαμβίζειν nihil aliud quam conviciari,) plurimum sane differt a carmine lyrico, cui datum est,

— — *Diuos puerosque deorum*
Et pugilem victorem & equum certamina primum,
*Et iuuenum curas & libera vina referre.***)

Dedit præterea *Catullus* gravissimas acerbitatis suæ poenas. Plurimos enim habuit vituperatores, inque his præsertim *Josephum Scaligerum*, qui vero rem satis miram narrare videtur, cum dicit: "Nunquam plura apud ullos auctores se legisse, quæ se "magis ad interpretationem sacrarum litterarum "ducerent, quam apud Aristophanem, Catullum, "Tibullum, Propertium & eiusmodi salacissimos "auctores.„***)

Cæsium Bassum haud ignobilem fuisse poëtam lyricum, testatur QUINTILIANUS.****) Is enim postquam dixit, Horatium fere solum legi dignum

 esse,

*) Vide DACIERII Præfationem Operibus Horat. præmissam p. 26. Idem fere sentit QUINTILIANUS, qui *Inst. Orat.* l. X. c. 1. Catullo acerbos Jambos tribuit, & TACITUS Annal. lib. 4. c. 34, qui, *Carmina*, inquit, *Catulli & Bibaculi, referta contumeliis Cæsarum, leguntur.*

**) HORAT. Art. Poet. v. 83 — 85.

***) Prima Scaligerana p. 20.

****) QUINTILIANUS Institut. Orat. lib. X. c. 1. p. 505. edit. Gesn.

esse, statim hæc addit: *Si quem adiicere velis, is erit Cæsius Bassus, quem nuper vidimus.* Ac scripsit sane Bassus tum commentarium in Arati Phænomena & libellum de metris, tum lyrica carmina, iniquitate temporum maximam partem erepta.*) Quam iacturam iniquiori animo ferre iubemur, cum tam honorifica eius apud QUINTILIANUM & PERSIUM (Sat. VI.) fiat mentio, ut dubitari non possit, magnum atque excellens fuisse Bassi ingenium. Vixit autem Neronis & Galbæ, ætate, ac Ovidio Propertioque usus est familiariter.

Magna sunt, quæ de Basso dixi; maiora tamen, quæ de *Titio Septimio* dici debent. Quid enim magnificentius & ad laudem Titii illustrius afferri potest, quam quæ apud HORATIUM leguntur? **)

Quid Titius, Romana breui venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus & riuos ausus apertos.
Ut valet? Ut meminit nostri? Fidibusne latinis
Thebanos aptare modos studet, auspice Musa?
An tragica desaeuit & ampullatur in arte?

Hac itaque laude non video, quid esse possit excellentius. Equidem legere memini, *Prophyrionem,*

*) Quædam illorum reliquiæ exhibentur in *Fragmentis veterum poetarum latinorum*, quæ a *Roberto* & *Henrico Stephanis* collecta prodierunt Parisis 1564.

**) HORATIUS lib. I, ep. 3. v. 9. seq.

nem, qui commentariis ſuis Horatium illuſtravit, ἰρωνικῶς hæc omnia ſumere velle; ſed quidquid ille garriat, nunquam certe a nobis impetrabit, ut idem ſentiamus. Namque ſi quid video, id profecto agit HORATIUS, ut laudem tribuat Titio, quod mediocribus Poetis (quos lacubus riuisque egregie confert,) poſthabitis, ſublimem immenſumque Pindarum æmulari auſus ſit, & carmina condiderit lyrica, non iam quidem evulgata, mox autem in lucem proferenda. Cui opinioni inde etiam plurimum accedit roboris, quod HORATIUS lib. I. epiſt. IX. magnifice de Titio ſentit, eumque vocat *dignum mente domoque eligentis honeſta Neronis.**)

PASSIENUM PAULLUM non ultimum inter Lyricos latinos locum obtinuiſſe, teſtis eſt PLINIUS,**) qui honorificentiſſimam Paſſieni mentionem facit, eiusque in effingendo Horatio Propertioque ſtudium ſingulare laudibus effert. En ipſa PLINII verba! "Si elegos Paſſieni in manus ſumſeris; leges opus terſum, molle, iucundum & plane in Propertii domo ſcriptum. Nuper

*) Monetam in honorem Titii, cum victoriam carmine obtinuiſſet, cuſam exhibet BEGERUS *Theſaur. Brandenb.* Tom. 2. p. 589. Sunt tamen, qui Titium hic agnoſcere nolunt. Alii pro Poëta ſentiunt, cuius alatam effigiem nummus offert. Alas vero Muſarum æque ac Poetarum capiti in nummis veterum affixas fuiſſe, idem BEGERUS docet Tom. I. p. 56.

**) PLINIUS lib. IX. epiſt. 22. lib. VI. epiſt. 15.

"*ad lyrica deflexit*, in quibus ita HORATIUM, ut "in illis illum alterum (Propertium) effingit. Putes, "si quid in ſtudiis cognatio valet, & huius propin- "quum. Magna varietas, magna mobilitas. Amat, "ut qui veriſſime; dolet, ut qui impatientiſſime; "laudat, ut qui benigniſſime; ludit, ut qui face- "tiſſime; omnia denique tanquam ſingula abſolvit.„

Neque omittendus eſt *Spurinna*, qui, quantum rebus magnifice geſtis inclaruit, tantam ingenii præſtantiâ aſſequutus eſt gloriam. Scripſit enim, eodem PLINIO teſte*) *lyrica* doctiſſime. Mira illis dulcedo, mira ſuavitas, mira hilaritas, cuius gratiam cumulat ſanctitas ſcribentis. Uſus eſt græca pariter atque latina lingua in pangendis carminibus, quæ omnia prorſus interiiſſe, iure dolemus. Ad laudem *Spurinnæ* hoc etiam plurimum valet, quod Senatus Rom. triumphalem ſtatuam ei decrevit; non ita, ut multis, qui nunquam in acie ſteterunt, nunquam caſtra viderunt, nunquam denique tubarum ſonum, niſi in ſpectaculis, audierunt; verum ut illis, qui decus iſtud ſudore & ſanguine & factis adſequuntur.

Reſtat, ut de *Saleio Baſſo* dicam, quem in poetarum lyricorum numero habendum eſſe, DACIERIUS**) quidem affirmat, ſed ita, ut nullis ſententiam ſuam ſuffulciat argumentis. Nec video,

*) PLINIUS lib. 3. ep. 1. & lib. 2. epiſt. 7.

**) In Præfatione Operibus Horatii præmiſſa p. 28.

video, quod tandem patrocinium huic opinioni parari possit. Equidem duo sunt, ad quos provocatio valet, testes, nec illi sane contemnendi. TACITUS enim absolutissimum poëtam vocat *Saleium*, & tantam eius existimationem, tam illustre nomen fuisse dicit, ut a Vespasiano quingenta sestertia, quæ 15625 Imperiales exæquant, dono acciperet *) Plurimum quoque laudis *Saleio* tribuit QUINTILIANUS **) qui, *vehemens*, inquit, & *poeticum ingenium Saleii Bassi fuit, nec ipsum senectute maturum;* pro quo rescribendum nonnulli putant, *nec ipsum senectus maturavit*, i. e. immatura morte præventus & duriori fato supplantatus, non ad senectutem pervenit. Sed hæc quomodocunque se habeant, nihil certe valent ad DACIERII sententiam corroborandam. Quem enim poetam absolutissimum vocat TACITUS, eum si quis Lyricis annumerare vult, ego eodem iure Comicum aut Epicum nominabo, cum incertum sit, quo præsertim carminum genere inclaruerit *Saleius Bassus*. Et ad QUINTILIANI verba quod attinet, facilius inde, si omnia rite pensitaueris, colligi potest, epica potissimum carmina scripsisse Saleium: quod etiam dubitari eo minus potest, cum Ennio, Cornelio Seuero, Valerio Flacco, Rabirio & Pedoni Albinouano velut comes addatur, quos omnes

*) TACITUS in Dialogo de causis corruptæ eloquentiæ c. 5 & 9.

**) Iustitut. Orator. l. X. cap. 1. p. 503. edit. Gesn.

heroicis carminibus magnam olim celebritatem consequutos fuisse, nemo nescit.*) Nihil itaque est, quod ad *Saleium Bassum* lyricæ poeseos gloriam deferamus. Quodsi tamen augere numerum voluueris, rectius *Rufum*, forsan etiam *Plinium* iuniorem appellare poteris Lyricum. De *Rufo* quidem res satis manifesta est: is enim *Pindaricæ fidicen lyræ* ab Ovidio vocatur.**) De *Plinio* autem inter Lyricos referendo, facere non possum, quin paullo timidius pronuntiem. Cuius epistolas suavissimas & summo ingenii acumine commendabiles cum nuperrime legerem, sæpissime miratus sum insignem viri diligentiam, qua Poëticen coluit & tantum non veneratus est. *Facio*, inquit ille, *nonnunquam versiculos severos parum; facio comoedias, & audio & specto mimos, & Lyricos lego & satyricos intelligo: aliquando præterea rideo, iocor, ludo; utque omnia innoxiæ remissionis genera breviter amplectar: homo sum.****) Maxime vero Hendecasyllabis operam dedit, quorum indolem de-

*) Ovidius (Epist. ex Ponto l. 4. ep. 16.) plures nominat Epicos latinos, quos etiam laudibus effert. Dicit enim

— — — *Et mihi nomen*
Tunc quoque, cum viuis annumeraver, erat,
Cum foret & Marsus, *magnique Rabirius oris,*
Iliacusque Macer, *fidereusque Pedo, &c.*

**) Ovidius loc. cit.

***) Plinius lib. V. epist. 3.

descripturus, hæc addit: *His iocamur, ludimus, amamus, dolemus, querimur, irascimur: describimus aliquid modo pressius, modo elatius.* *) Tentavit etiam, si quid otii in itinere & inter coenam esset, elegos & alia metra; hendecasyllabis autem, qui titulus sola metri lege constringitur, tantopere delectatus est, ut paullo gloriosius de iis sentire non erubescat. *Postremo placuit* (sunt verba Plinii) *exemplo multorum, unum separatim hendecasyllaborum volumen absolvere. Nec poenitet. Legitur, describitur, cantatur etiam. A Græcis quoque, quos latine huius libelli amor docuit, nunc cithara, nunc lyra personatur.* **) Ex his omnibus si quis colligere velit, lyricos versus pepigisse Plinium, is quidem me non habebit adversarium; suaserim tamen, ut certiorem reddere studeat sententiam, quæ sua adhuc difficultate laborare videtur.

Sed redeamus e diverticulo in viam, & ad Horatium tandem accedamus, cuius carmina quoties lego, toties exosculor & Musas ipsas audire mihi videor. De quo tamen antequam dicere aggredior, lubet hac opportunitate uti, quæque opponi poterant, refutare. Forsan enim dixerit mihi quispiam: "Cur vero de Lyricorum latino-"rum paucitate quereris? Sex enim, &, si Dis

*) Plinius lib. IV. ep. 14.

**) Plinius lib. 7. ep. 4.

"placet, plures nominasti poetas lyricos. Quem "numerum si perexiguum esse putas; scito, vix "alia in gente maiorem reperiri. Apage igitur "nugas tuas, aut, quoniam nobis non placent, "imprudentioribus eas vende.„ — Dura sunt, quæ obiiciuntur, & duriora prope, quam ut ferri possint. Sed bona fide agam, nec diffitebor, numerari posse poetas, quos Roma aluit, lyricos. At o! exiguum numerum, maxime si conferatur cum græcorum Lyricorum multitudine, aut si pauculos illos seiungas, qui fontis Pindarici haustus non expalluerunt. Græcia enim, summis planeque divinis ingeniis feraciſſima, nonne *Alcaeum*, *Stesichorum*, *Sapphonem*, *Pindarum*, *Anacreontem*, *Simonidem*, *Ibycum*, *Alcmanum*, *Bacchylidem*, *Praxillam*, *Corinnam*, *Telesillam*, *Pratinam*, *Melanippidem*, aliosque bene multos habuit? eosque non hercle! medioeres, non pulverem quærientes; sed sublimes, sed igneos, sed ore profundo ruentes. Roma autem, quam paucos, bone Deus! habet, qui eandem spirent sublimitatem altiusque assurgant. Sume enim Horatium, adde etiam Titium Septimium; nec habebis sane, quibus magnum lyricæ poeseos laudem tribuere possis. Quare non video, cur de Lyricorum latinorum paucitate queri, causasque eius indagare non liceat?

Equidem obstare videntur, quæ SENECA habet, qui, *Negat Cicero*, inquit, *si duplicetur sibi ætas, habi-*

habiturum ſe tempus, quo legat Lyricos, *eodem modo Dialecticos.* Sed neque hinc deſumi quicquam poteſt, quod ſententiam meam labefactet penitusque infringat. Quid enim impedit, quo minus de *græcis* Lyricis Ciceronem locutum fuiſſe dicamus? Ego certe non video, quomodo de *latinis*, idem affirmari poſſit, quippe quos ante Ciceronem vix extitiſſe in confeſſo eſt. Fac autem, de Lyricis, quos Roma habuit, intelligenda eſſe omnia: nihil tamen eſt, quod ſententiam mutare cogat. Namque non id agit Cicero, ut affirmet, tantam eſſe tamque immenſam Lyricorum copiam, ut legendis iis hominum ætas vix ſufficiat; ſed in eo potiſſimum verſatur, ut oſtendat, in tanta laborum & negotiorum multitudine ne minimum quidem ſupereſſe temporis ſpatium, quod voluptati, oblectationi atque etiam Lyricis legendis tribuere poſſit. Quod ne quis in dubium vocare ſuſtineat, lubet adſcribere, quæ antecedunt, Senecæ verba: *Eo magis utique indignor, aliquos ex hoc tempore (quod ſufficere nec ad neceſſaria quidem poteſt, etiam ſi cuſtoditum diligentiſſime fuerit,) in ſuperuacua maiorem partem erogare.* Quibus hæc ſtatim adiiciuntur: *Negat Cicero, ſi duplicetur ſibi ætas, habiturum ſe tempus, quo legat* Lyricos, *eodem modo Dialecticos.**) Plura non addo; ſunt enim perſpicua omnia & luce clariora.

*) Seneca Epiſt. 49.

riora. Operæ tamen pretium videtur, unicam adhuc nominare Poetriam, lyricis carminibus olim illustrem. *Theophilam* puto, Canii Rufi Poetæ uxorem, quam vehementer laudat MARTIALIS. Non enim dignam solum illam iudicat, quæ a Sapphone laudetur, sed affirmat etiam, maiorem in Theophila quam in Sapphone fuisse castitatem, idem vero ingenium eandemque doctrinam. *)

Ad HORATIUM venio, cuius laudes si enarrare, aut scripta celebrare vellem, amplissimum sane haberem campum, in quo qualiscunque mea excurrere posset virtus. Sed de his nunc non est locus. Quare ea tantum breviter attingam, ex quibus intelligi quodammodo possit, cur tam pauci inter Romanos fuerint Poetæ lyrici. Atque hic primum illud occurrit, quod HORATIUS Lyricorum latinorum non modo excellentissimus, sed etiam *primus* iure habeatur. Cuius rei firmissima argumenta ex ipsis divini poetæ carminibus desumi possunt. Audiamus itaque ipsum.

Dicar, qua violens obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquæ Daunus, agrestium
Regnator populorum, ex humili potens,
Princeps Aeolium carmen ad Italos
*Deduxisse modos. — ***)

Quæ

*) MARTIALIS lib. VII. epigr. 68. & lib. III. epigr. 20.

**) HORATIUS lib. 3. Od. 30.

Quæ verba, quid aliud ſignificant, quam quod HORATIUS primus auctor lyricæ poeſeos in Italia fuerit, nec ante ſe quemquam habuerit, qui æque imitatus ſit Græcorum metra, non illa ſolum perquam diverſa, ſed etiam rebus dicendis aptiſſima. Quod enim *æolium* vocat *carmen*, nullum profecto aliud eſt, quam vel *alcaicum* vel *ſapphicum*, quoniam inter omnes conſtat, Sapphonem & Alcæum ex inſula Lesbo, quæ Aeoliæ pars eſt, oriundos fuiſſe.

Notiſſima quoque ſunt hæc Poëta verba:

Non ante vulgatas per artes
Verba loquor ſocianda chordis. *)

Quibus addi omnio poſſunt, quæ lib. IV. Od. 3. leguntur:

Quod monſtror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ,
Quod ſpiro & placeo, ſi placeo, tuum eſt.

Hæc itaque & his ſimilia ſi cui adhuc obſcura & ad rem definiendam non ſatis apta videntur, nae! is veritati inimicus eſt.

At obſtrepentes quosdam audio dicentesque: "Omiſiſti, omiſiſti locum, ceteris omnibus illu-"ſtriorem, quo carere nullo modo poſſunt, qui "Horatium Lyricorum romanorum primum eun-"demque principem habent. Quid enim clarius "his verbis?

— "Car-

*) HORAT. lib. 4. Od. 9.

— — — "*Carmina non prius*
"*Audita, Muſarum ſacerdos,*
"*Virginibus puerisque canto.*„

O! me ignavum aut potius moroſum, qui intelligere nec poſſum nec volo, quanta his verſibus inſita ſit vis. Ego enim ſemper exiſtimavi, non de carminibus lyricis, ſed de carminibus ſecularibus loqui HORATIUM. Demonſtrationem poſtulas? Dabo. Et primo quidem negari illud non poteſt, eam ipſam Oden, cuius velut exordium verba hæc conſtituunt, recte vocari carmen ſeculare. Sive enim verſus ſupra memoratos ad Oden I. libri III. referas, ſive, quæ melior eſt SANADONII ſententia,*) Odæ VI libri IV & carmini ſeculari, quod libro Epodon addi ſolet, præmittendos exiſtimes: intellectu ſane eſt facillimum, non id ſibi velle Horatium, ut lyricorum carminum auctorem inventoremque ſe prædicet, ſed ut ſollemni ritu carmina ſecularia indicet, quæ lyrici generis erant, & centeſimo decimo aut centeſimo quoque anno in honorem Apollinis, Dianæ, lunonis & aliorum Deorum Dearumque decantari ſolebant. Quod ne cui obſcurum eſſet, ipſe HORATIUS diligenter providit. Addit enim:

Virginibus puerisque canto.

Scilicet quoties ludi ſeculares celebrabantur, ter novem illuſtres pueri cum totidem virginibus Hym-

*) *Oeuvres d'Horace traduites en françois* par *M. Dacier & le P. Sanadon*, Tom. I. pag. 400.

Hymnos & Pæanas canebant, ita ut seorsim puellæ ipsæ chorum haberent & seorsim puerorum masculus ordo. Solebant autem hi hymni a Poetis pangi, ut ipso splendore suo & elegantia ad ludorum secularium pompam propius accederent. Cumque ludi, quos vocamus, seculares inde ab initiis Romæ ad Augustum usque non nisi quinquies celebrati fuerint: facile patet, cur *de carminibus non prius auditis* loquatur *Horatius*. Qui enim anno V. C. DCCXXXVII. ab Augusto restituebantur ludi seculares, diu intermissi fuerant, nec inde ab anno DCV habiti. Cuius rei testem omni exceptione maiorem habemus SUETONIUM, qui, *Nonnulla*, inquit, *ex antiquis cerimoniis paullatim abolita restituit* (Augustus), *ut salutis augurium, Diale flaminium, sacrum lupercale*, ludos seculares & *compitalicios*.*) Certum itaque est, & extra omnem dubitationis aleam positum, quid sibi velint Horatii *carmina non prius audita*. Omnes scilicet, qui ludis secularibus ab Augusto celebratis intererant, antea neque viderant solemnem ludorum per CXXX. annos intermissorum pompam, nec audiuerant hymnos in hac solemnitate decantari solitos.

Longius

*) SUETONIUS in vita Augusti c. 31. conf. *Alexandri ab Alexandro* Dies geniales lib. VI. cap. 19. p. 704. edit. Tiraquellianæ.

Longius me, quam volebam, provexit Horatii amor, de quo cum pauca dicere decreviſſem, iuſto verboſior factus ſum, ita ut omnem fere modum exceſſiſſe videar. Non itaque immorabor his diutius, ſed cauſas diligentius inquiram, quibus effectum fuit, ut Romani pauciores habuerint Lyricos. Atque hoc dum mecum perpendo, ſtatim illud in mentem venit, quod eſt certiſſimum. Quotus enim quisque eſt, qui neſciat, *Romanos, in amorem Comœdiarum, Tragœdiarum omniumque ludorum ſcenicorum effuſiſſimos, perexiguam lyricorum carminum habuiſſe curam.* Diſerte hoc docet HORATIUS*), locupletiſſimus teſtis.

Serus enim Græcis admouit acumina chartis:
Et poſt Punica bella quietus, quærere cœpit,
Quid Sophocles & Theſpis & Aeſchylus utile ferrent.

Equidem non ignoro, eſſe hæc potiſſimum de temporibus primum bellum punicum proxime excipientibus intelligenda. Tunc enim non poetæ ſolum græcos Comicos Tragicosque legebant & in latinum convertebant ſermonem **), ſed populus etiam, exantlatis belli periculis lætus, nec tamen iis artibus, quæ pacis ornamenta ſunt, ſatis inſtructus, ſtudioſe conſectabatur ludos & quæcunque

*) Lib. 2. epiſt. 1. v. 161—63.

**) Quod ipſum innuit HORATIUS l. c. v. 164.

Tentauit quoque rem ſi digne vertere poſſet.

que menti exhilarandæ inferviebant. Quare etiam illo temporis ſpatio, quod primum inter & ſecundum bellum punicum intercedit, *Livius Andronicus* & *Nævius*, Comœdiarum ſcriptores inclaruerunt, quos brevi poſt *Ennii*, *Pacuvii*, *Cæcilii*, *Attii* aliorumque clara exceperunt ingenia. Neque hoc magnopere mirum, quoniam ipſa reip. ratio eiusmodi ludos ſuadebat. Non enim magna ſolum erat ludorum ſanctitas, quippe quibus deorum iram placari & mala quæque auerruncari poſſe credebatur, ſed plurimum quoque valebant, ad captandam populi benevolentiam. Tantum autem & tam vehemens erat ſtudium, quo ad populi gratiam aucupandam ferebantur Romani, ut, quæ plurimis placebant & publicum favorem conciliare poterant, ea a popularibus diligentius colerentur, atque etiam eruditorum excitarent induſtriam. Teſtes ſunt ludi ſollemnes, inque iis ſpectacula potiſſimum, quæ ab Aedilibus ingenti pecuniarum profuſione infinitisque ſumtibus edi ſolebant, eo præſertim conſilio, ut facilior ad amplioris dignitatis gradum adſcenſus eſſet.*) Teſtes ſunt, ne quid de aliis ludis

*) Nimiam hanc Aedilium liberalitatem aut potius inſanam opum profuſionem, qua neque neceſſitati ſubueniebatur, neque dignitas augebatur, vituperat CICERO Offic. lib. 2. c. 17. Cæſares quoque ludos publicos effuſiſſimo ſtudio coluiſſe, docet SUETONIUS in vita Auguſti, c. 43. 44.

ludis dicam, quorum ingens fuit multitudo, teſtes ſunt variæ illæ ac multiplices Comœdiarum ſpecies, quas longo ordine recenſent antiquitatum romanarum ſcriptores, quæque, dici vix poteſt, quam gratæ fuerint populo, licet hiſtrionibus iisque, qui fabulas agebant, turpitudinis nota inhæreret. *) Teſtis denique eſt magna illa Poetarum comicorum, tragicorum & mimicorum copia, quorum cum ſatis multos paullo ante nominavi, tum reliquos nunc addo, PLAUTUM ſcilicet, TERENTIUM, LABERIUM **), PUBLIUM SYRUM, OVIDIUM ***), C. MELISSUM ****), VERGINIUM ROMANUM *****), POM-

*) Erat nempe inſtitutum apud Romanos & lege quaſi ſancitum, ut, qui artis ludicræ cauſa in ſcenam prodibant, a ſtipendiis & honoribus arcerentur: niſi forte fabularum *atellanarum* actores excipere velis, quos nec tribu motos fuiſſe, & ſtipendia meruiſſe ſcimus, quoniam hoc ludorum genus, ab Oſcis acceptum, tenebat iuuentus honeſtior, nec ab hiſtionibus pollui patiebatur. LIVIUS Hiſt. Rom. lib. VII. c. 8. Tom. II. edit. *Drakenborch*: & *Alexander ab Alexandro* Dierum genialium l. 6. c. 19.

**) HORATIUS lib. 1. ſat. 10. v. 6. SENECA Controv. lib. 7. c. 3.

***) OVIDIUS Amor. lib. 2. eleg. 18. v. 13. & lib. 3. eleg. 1. v. 27-29. conf. MASSONI Vitam Ovidii Naſonis p. 116. ſeq.

****) SUETONIUS de illuſtribus grammat. n. 21.

*****) PLINIUS iib. 6. epiſt. 21.

POMPONIUM SECUNDUM*), FUNDANIUM**), SENECAM, AFRANIUM***), AELIUM STOLONEM ****), TURRANUM *****), AELIUM LAMIAM, forſan & PLINIUM ******) aliosque, qui licet non omnes ingenii elegantia, lepore, urbanitate, ceterisque virtutibus commendabiles ſint *******), tamen ſeculi ſui genio ********) & applauſu, qui Comœdiis Tragœdiisque ſcribendis comparari facile poterat, ad hoc præſertim ſtudiorum genus excitati videntur. Laus enim & admiratio, quam omnes appetunt, incitationem plerumque accendit, naturâque, quod ſummo

*) PLINIUS lib. 7. epiſt. 17. QUINTILIANUS lib. 10. c. 1.

**) HORATIUS lib. 1. ſat. 10. v. 42.

***) HORATIUS lib. 2. epiſt. 1. v. 57. QUINTILIANUS loc. cit.

****) QUINTILIANUS loc. cit.

*****) OVIDIUS ex Ponto lib. 4. ep. 16. v. 29.

******) PLINIUS lib. 7. ep. 4.

*******) QUINTILIANUS, latinos comicos cum græcis comparaturus, hunc fere in modum iudicat, *Inſtitut. Orator.* l. 10. c. 1. "*In comoedia maximo claudicamus. - - - Vix leuem conſequimur umbram, adeo ut mihi ſermo ipſe romanus non recipere videatur illam ſolis conceſſam Atticis venerem, quando eam ne Græci quidem in alio genere linguæ obtinuerint.*„

********) Genium hunc declarant, quæ apud HORATIUM lib. 2. ep. 1. v. 60. leguntur:

Hos ediſcit, & hos arcto ſtipata theatro
Spectat Roma potens: habet hos numeratque Poetas
Ad noſtrum tempus, Liui ſcriptoris ab æuo.

ſtudio colitur, aſcendit in ſummum, dum plurimorum exercet ingenia.

Atque utinam eadem animorum propenſione lyricam poeſin conſectati fuiſſent Romani! Nullum enim eſt dubium, quin e populo tot fortunæ beneficiis & naturæ dotibus conſpicuo, plures prodituri fuiſſent Lyrici, neque illi ſane contemnendi, aut eodem loco habendi, quo malus ille poeta, qui, cum epigramma in Sullam feciſſet alternis verſibus longiuſculis, præmium laboris ferebat, ſub ea conditione, ne quid poſtea ſcriberet.*) At o! invidam malevolamque fortunam! Nolo enim dicere: o! negligentiam Romanorum! licet hac ipſa incuria effectum fuiſſe videatur, ut pauciores inter Romanos floruerint Lyrici. Nam quis hoc neſcit, *lyricam Romanorum poeſin ad tot, tantas tamque illuſtres res celebrandas non adhibitam fuiſſe, quot quantasque Græci carminibus ſuis ad religionis memoriæque immortalitatem conſecrarunt.* Quod ſi fuſius nunc exponere & per partes eundo declarare vellem, pagellas has vix ſuffecturas eſſe video. Quare, ne longior ſim, utramque gentem inter ſe contendere lubet, ut, quæ maiorem conſecuta ſit laudem, intelligatur. Græci itaque, in quibus omnia ſingulari iudicio & arte reperta, elaborata, perfecta erant, Græci, inquam, carminibus convivalibus inter pocula decantari ſolitis frequentiſſime utebantur, quorum e numero σκολια præſer-

*) Cicero pro Archia Poeta, cap. 10.

sertim sunt, quæ παροινικαὶ ὠδαὶ a SUIDA vocantur.*) Eundem morem secuti sunt Romani, qui multis ante Catonem seculis carmina in epulis, de clarorum virorum laudibus cantare solebant.**) Græci porro Pæanas, Dithyrambos aliosque hymnos in honorem Deorum factos, in conviviis, sacrificiis & pomparum sollemnibus canebant; quod ipsum a Latinis factitatum fuit, ita tamen, ut, quoniam mores a maioribus acceptos nimis colebant, hac etiam in re Græcis inferiores essent, nec raro antiquissimis uterentur carminibus, quorum sensum ne ipsi quidem sacerdotes assequi poterant.***) Fuit etiam usitatissimus Græcorum mos, ut fortium virorum facta, vel ad iuvenum animos inflammandos, vel ad avertendam oblivionis iniuriam, carminibus celebrarent: qua in re nihil video, quod Romani non imitari studuerint, quantum quidem ingeniorum diversitas patiebatur. Habuerunt denique Græci pariter ac Romani carmina amatoria, nuptialia & quæ id genus sunt plurima. Itaque si

*) SUIDAE Lexicon Tom. III. p. 334. edit. Cantabrigiensis a LUD. KUSTERO divulgatae. (Pererueditam & elegantem *de Græcorum Scoliis commentationem* nuperrime edidit Cl. *Cludius*, quam qui legere cupit, adeat librum laudatissimum: *Bibliothek der alten Litteratur und Kunst.* Part. I & III a. 1788.)

**) CICERO de claris oratoribus. c. 19.

***) ATHENAEUS Deipnosoph. l. 14. c. 6. VALERIUS MAXIMUS l. 4. c. 1. n. 10. QUINTILIANUS l. 1. c. 6.

quis hinc colligere voluerit, lyricos verſus a Romanis non neglectos, ſed amatos fuiſſe, non pugnabo. Neque tamen perſuaderi mihi patiar, lyricæ poeſeos honorem uſumque tantum tamque illuſtrem fuiſſe, ut hac etiam in re ad Græcorum ſimilitudinem acceſſiſſe videantur. Atque huic opinioni meæ præſertim id patrocinatur, quod ſplendida illa & totius fere Græciæ conventu celebrata *Poetarum certamina*, (quæ ἀγώνων μυσικῶν, in *Olympiis*, *Pythiis*, *Nemæis*, *Iſthmiis* & *Panathenæis* inſtitutorum, pars erant), aut non obtinuerunt inter Romanos, aut certe a *Nerone* demum inſtituta fuerunt, cum amiſſa iam & prope extincta eſſet libertas, cumque ſervitus optimarum artium oblivionem quandam ac ignorationem ſenſim induceret. Quare ſi hoc verum eſt, celeberrimos illos Græcorum ludos Poetis cum omnibus, tum etiam Lyricis ampliſſimam ingeniorum exercendorum laudisque acquirendæ occaſionem præbuiſſe*); minime mirum eſt, Romanos neque tot neque tam illuſtres habuiſſe Lyricos.

Atque hanc ipſam Lyricorum paucitatem examinanti hoc etiam probe obſeruandum videtur, *quod*

*) Vide *Abhandlung von den Odeen der Alten* p. 22. 44. ſeqq. & *Neue Bibliothek der ſchönen Wiſſenſchaften*, T. VII, ubi de certaminibus veterum muſicis diſputatur.

quod romanæ litteraturæ gloria & decus unius fere ſeculi terminis contineatur. Equidem ſolet plerumque tanto brevius eſſe omne tempus, quanto eſt felicius. Romani autem, licet in adminiſtranda augendaque rep: fortunatiſſimi, tamen, ſi litterarum culturam ſpectes, valde inſtabilem & paullo acerbiorem, quam Græci, experti ſunt fortunam. Non enim ſero ſolum acceperunt litteras, antea neglectas atque a veteri diſciplina bellique conſiliis alienas, ſed citius quoque easdem amiſerunt, dum poſt fata liberæ beatæque reipublicæ in ſervitutem & ex hac in adulationem delaberentur. Itaque ſicut ante Sullana tempora paucissimi reperiuntur ſcriptores, ingenii gloria & ſermonis elegantia memorabiles: ita Auguſto Tiberioque exſtinctis mox hebetata, fracta, contuſa ſunt ingenia. Quod temporis ſpatium, ſi rationes recte ſubduxeris, vix ultra unius ſeculi fines procedit. Breve admodum tempus, & magnis iisque excellentibus ingeniis proferendis vix ſufficiens! maxime ſi cogitaveris, naturam munificam quidem & liberalem, neque tamen adeo prodigam eſſe, ut homines ad ſumma natos & excellentiſſimis divini ingenii dotibus inſtructos quotidie proferat. Quod potiſſimum de Poetis atque etiam Lyricis valere, ita docet WILHELMUS TEMPLE,

Anglus*), ut facile appareat, cur in tam brevi romanæ litteraturæ flore pauci extiterint Lyrici, quibus ab ingenii ſublimitate vacuis atque adeo mediocribus eſſe,

Non homines, non Di, non conceſſére columnæ. **)

Dixi paullo ante de *ſervitute*, quæ etiam dici non poteſt, quantum attulerit, ad ingenia Romanorum, eorum maxime, qui optimis artibus operam dabant, hebetanda. Perpeſſa autem eſt Roma ſub Cæſaribus ſervitutem tam atrocem, ut atrocior excogitari vix poſſit. Quantum enim bone Deus! & quam acerbum illud exiſtimandum eſt, quod de DOMITIANO ſcribit TACITUS.***) Namque is non in ipſos modo auctores, ſed in libros quoque eorum deſæviit, delegato triumviris negotio, ut monumenta clariſſimorum ingeniorum in comitio & foro vrerentur. Scilicet illo igne vocem Populi Romani, & libertatem Senatus & conſcientiam generis

*) *Of all the numbers of Mankind, that live within the compas of a thouſand years, for one man, that is born capable of making a great Poet, there may be a thouſand born capable of making as great Generals, or Miniſters of ſtate, as the moſt renowned in Story.* Vid. Eſſay on the Writings and Genius of Pope, p. 111.

**) HORAT. Art. Poët. v. 372.

***) TACITUS in vita Agricolæ cap. 2.

generis humani aboleri arbitrabatur, expulsis insuper sapientiæ professoribus, atque omni bona arte in exilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Ex illo itaque omnia in peius ruere cœperunt & retro sublapsa referri. Ac licet TRAIANUS aliique, qui eum sequuti sunt, Cæsares felicitatem imperii augere & pristinum litterarum decus restituere vellent: tardiora tamen erant remedia, quam mala. Facilius enim ingenia studiaque opprimuntur, quam revocantur, siquidem ipsius inertiæ dulcedo sensim subit, & invisa primo desidia tandem amatur. Quid itaque tunc disci potuit? quid didicisse iuvit? cum omnia soluta, turbata atque etiam in contrarium versa essent, cumque bonos laudare & virtutem extollere non liceret. Sed aliud hinc ortum est malum, idque Lyricis etiam pernicioſum. Namque superciliose a plerisque *contemnebantur Poetæ*, & carmina ac versus nullam auctoribus suis conciliabant dignitatem. Satis hoc, TACITO teste*), expertus est SALEIUS BASSUS, egregius poeta, qui, si toto anno, magna etiam noctium parte, unum librum elucubrasset, rogare ultro & ambire cogebatur, ut essent, qui dignarentur audire, & ne id quidem gratis. Rarissimæ etiam tunc erant *recitationes*,

*) Dialog. de causis corruptae eloquentiae cap. 9.

licet antea frequentatiſſimæ reique lltterariæ perutiles. Dolet hanc negligentiam & lamentatur PLINIUS, qui, *Plerique*, inquit, *in ſtationibus ſedent, tempusque audiendi fabulis conterunt, ac ſubinde ſibi nuntiari iubent: an iam recitator intraverit? an dixerit præfationem? an ex magna parte evoluerit librum? Tum demum ac tunc quoque lente cunctanterque veniunt: nec tamen permanent, ſed ante finem recedunt, alii diſſimulanter & furtim, alii ſimpliciter & libere.**)

Sed iam ſcribendi finem facere, cum temporis penuria, tum res ipſa iubet, de qua, ſi quid dixi, quod in lucem proferri meretur, ſatis me felicem exiſtimabo. Poterat autem eadem ratione diſputari: *cur tam pauci ac fere nulli inter Græcos fuerint Satyrici?* Cuius diſputationis, alio tempore a me divulgandæ, occaſionem præbent QUINTILIANUS atque HORATIUS**), quorum hic *Satyram intactum Græcis carmen* vocat, ille vero aperte teſtatur, *Satyram totam Romanis deberi.****)

*) PLINIUS lib. 1. epiſt. 13.

**) HORATIUS lib. 1. ſat. 10. QUINTILIANUS Inſtitut. Orat. l. 10. c. 1.

***) Omnem hanc de poetarum lyricorum inter Romanos paucitate diſſertationem, ante viginti annos a

me

me ſcriptam, dum relego & typis iterum exſcribendam curo, ecce, afferuntur mihi Ephemerides litterariæ Gottingenſes, quæ me docent, pertraſtaſſe nuper virum aliquem egregie doctum aliud argumentum, huic meo perquam affine. Scripſit nimirum Cl. TORKIL BADEN diſſertationem *de cauſis neglectæ a Romanis Tragœdiæ*, Gott. 1789, cui, ſi vellet, addere facile aliam poſſet de cauſis neglectæ a Romanis Comoediæ. Hanc enim parum excoluiſſe Romanos, cum res ipſa declarat, tum QUINTILIANUS fatetur. "In Comœdia, "inquit, maxime claudicamus, licet Varro dicat, "MUSAS PLAUTINO *ſermone locuturas fuiſſe*, "*ſi latine loqui vellent*; licet Cæcilium veteres "laudibus ferant; licet Terentii ſcripta ad Scipio- "nem Africanum referantur. — — Vix levem "conſequimur umbram, adeo ut mihi ſermo ipſe "romanus non recipere videatur illam ſolis con- "ceſſam Altcis venerem, quando eam ne Græci "quidem in alio genere linguæ obtinuerint." *Inſtit. Orat.* lib. 10. c. 1. p. 506 edit. Geſn. — — Ad Tragœdiam quod attinet, plures dantur cauſæ, cur in ea excolenda negligentiores fuerint Romani. Primo quidem loco afferri poſſunt ludi gladiatorii, quibus Romanos adeo delectatos fuiſſe ſcimus, ut omnem Tragœdiæ eius, quæ ad commiſerationem excitandam virtutisque admirationem augendam comparata eſt, ſenſum amitterent. Accedit aliud argumentum, idque longe gravius, quippe ab ipſa *græcarum Tragœdiarum* indole ac natura petitum. Hæ enim arctiori quodam vinculo cum religione domeſtica coniunctæ erant, plurimumque faciebant ad priſtinos heroas celebrandos, ad memoriam

am

am rerum domi militiæque ſplendide geſtarum propagandam, ad amorem patriæ alendum. In romanis autem Tragœdiis id ſecus fuiſſe, omnemque earum apparatum ad animos ſpectatorum oblectandos magis, quam formandos pertinuiſſe, quis neſcit? Addi denique poteſt & hoc, quod Rom. Tragici e Græcorum fontibus pleraque hauſerunt, & mox in conſcribendis Tragœdiis ſtilo uſi ſunt turgido & inflato, qui tantum abeſt, ut arti perficiendæ inſerviat, ut potius florem eius venuſtatemque impediat.

DE

DE

HEGESIA ΠΕΙΣΙΘΑΝΑΤΩ

DISSERTATIO.

Cum *de Poetarum Lyricorum inter Romanos Paucitate* ad eruditos nuper referrem, in me recipiebam atque pollicebar, perfecturum me aliquando esse, ut intelligatur, *cur Græci*, tot ingenii monumentis illustres & in omni poeseos genere facile principes, *nullas habuerint satyras*, tales nimirum, quales HORATIO, JUVENALI, PERSIOQUE acceptas referimus. Suadere enim id videbatur tum argumentorum affinitas quædam atque cognatio, tum ipse ille Horatius, qui Satyram *Græcis intactum carmen* vocare non dubitat.*) Quare id mihi datum existimavi, ut diligentiæ qualiscunque meæ nervos in hanc rem intenderem, atque ante definirem, in quo positum sit discrimen, quod græcam satyram (si quam habuerunt Græci), & romanam illam intercedit. Huius vero disquisitionis meæ summam adscribere lubet, ne quis aut vanam eam fuisse credat, aut silentii suspicionem mihi moveat. Quæ igitur meditando æque ac legendo assecutus sum, huc fere redeunt.

I. Græ-

*) Lib. 1. sat. 10. v. 65. Adde QUINTILIANUM Inst. Or. lib. 10. c. 1. "*Satira quidem tota* "*nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus* "*est Lucilius.*"

I. Græcorum satyræ ex eorum carminum genere fuerunt, quæ, quoniam agendo faciendoque omnia imitantur, activa sive *dramatica* dici solent. Cum enim satyras tragœdiis adnectere moris esset, quo spectatorum mœstitia & planctus grata hilaritate temperaretur *): introducti in iis sunt non Satyri solum, sed & aliæ personæ dignitate notabiles. Hoc ipsum vero de Romanorum satyris affirmare, quis est, qui sustineat?

II. Satyra carmen fuit apud Romanos, non vero apud Græcos, maledicum, i. e. vitiis hominum carpendis moribusque ridendis unice dicatum; quod tamen alio prorsus modo factitatum est in satira Enniana, alio in Varroniana, alio denique in Luciliana. Habuerunt quidem & Græci carmina maledica bilisque plena, quæ Σίλλοι vocantur, quorum scriptores

*) Pertinent huc, quæ habet HORATIUS de Art. poet. v. 220 seq.

„ *Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,*
„ *Mox etiam agrestes Satyros nudavit; & asper*
„ *Incolumi gravitate, iocum tentavit, eo quod*
„ *Illecebris erat & grata novitate morandus*
„ *Spectator.* „

Constat tamen, satyricum drama a contubernio tragœdiæ tandem ablegatum fuisse, quod ARISTOTELES de Poet. c. 4. his verbis declarat: ὀψὲ ἀπεσεμνώθη ἡ τραγῳδία; sero a vitiis suis purgata, dignitatique suæ reddita est Tragœdia.

scriptores sunt TIMON PHLIASIUS*), DEMETRIUS CHALCENTERUS, XENOPHANES, & alii, quibus ἰαμβογράφοι ARCHILOCHUS & HIPPONAX annumerari possunt. At vehementur differunt Silli a dramate satyrico.**)

III. Græca satyra chorum Satyrorum saltantium, iocosque illiberales sæpe & lascivos moventium, sibi adiunctum habuit, quo ipso, dici vix potest, quam diversa fuerit a romana.

IV. In satyris scribendis Græci iambico plerumque & trochaico metro, Romani autem versibus heroicis usi sunt, nisi quis Ennium Luciliumque excipiat, quos varia carminum genera adhibuisse constat.

V. Satyrica Græcorum (ita enim rectius dici putant viri egregie docti, quam satyra, quippe quod vocabulum ignorent Græci) a Satyris in scena ludentibus nomen habet; satyra romana vero, a *satura* sive plurium rerum mix-

*) *Gellius* Noct. Attic. l. 3. c. 17. *Vossius* Institut. Poetic. l. 2. c. 20. p. 104 seq.

**) De Sillis hæc habet *Cæl. Rhodiginus* Lection. Antiq. l. 15. c. 25. "Illud advertendum est, "maledicta cum risu, recte *Sillos* dici. Erat au-"tem poematis species comici. Qui id perseque-"bantur, *Sillographi* nuncupati.„ Cf. *Jo. Ant. Vulpium* de Satyræ latinæ natura & ratione c. 5. p. 60. (Patavii 1744.)

mixtione dicitur, quoniam pro argumento habet diversorum vitiorum, in quæ inuehitur, farraginem.

Sed hæc omnia breviter perstringere, quam per partes eundo exponere malui. Spero autem, fore, ut eorum enarrandorum amplior aliquando offeratur occasio, tum certe, cum Isaaci Casauboni *de satyrica græcorum poësi* liber prodibit, cuius quidem edendi consilium nuper cepi, non summa solum libri raritate permotus, sed etiam utilitate atque præstantia, quæ tanta est, ut dignus sit, quem omnes harum rerum amantes legant relegantque. *)

Plura iam dicere nolo. Invitat enim me nunc & quasi allicit illa ipsa res, quam examinandam sumsi. Est quidem illa paullo a populari vulgarique sensu remotior atque ex ipsa adeo antiquitate petita, quo nomine vereor, ut quibusdam probetur; placet tamen, eam hac scriptione qualicunque mea reddere planiorem. Prodeat itaque in scenam is, de quo dicturus sum, *Hegesias* πειθάνατος, qui, si quis alius, dicendi facultate orationisque vehementia & iubertate tantum effecit, quantum vix regi-

*) Fidem hîc datam liberavi a. 1774, quo Halæ prodierunt Is. Casauboni *de satyr. Græcor. poesi & Romanorum satira libri duo*, plurimis Crenii & qualibuscunque meis observationibus illustrati, aucti etiam Spanhemii de scriptis veterum satyricis dissertatione.

regibus concessum est. Ipsum viri cognomen e. *Diogene Laertio* petitum est *); caussam vero *Valerius Maximus* affert hanc, *quia sic mala vitæ repræsentabat, ut eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariæ mortis oppetendæ cupiditatem ingeneraret.***) Nec vero alia desunt veterum scriptorum testimonia, quibus, cur πεισιθάνατος dictus sit *Hegesias*, confirmatur. *Cicero* enim, commonstraturus, a malis abducere mortem, non a bonis, *Hoc quidem*, inquit, *a Cyrenaico Hegesia sic copiose disputatur, ut is a rege Ptolemaeo prohibitus esse dicatur, illa in scholis docere, quod multi, his auditis, mortem sibi ipsi consciscerent.****) Quocum egregie conspirat PLUTARCHUS, cuius hæc sunt verba: Ἡγησίας διαλεγόμενος πολλὰς ἐποίησεν ἀποκυρτερῆσαι τῶν ἀκροωμένων. h. e. Hegesias disputatione sua multos auditorum permovit, ut mortem sibi consciscerent. *****)

Ipsa πεισιθανάτου vox, ne quis in ea hæreret, satis exposita est, testimoniisque illustrata. Videtur autem, si constructionem vocis, non signifi-

*) *De vitis philosophorum* l. 2. c. 8. n. 7.

**) VALERIUS MAXIMUS lib. 8. c. 9.

***) CICERO Quaestion. Tusculanarum l. 1. c. 34.

****) PLUTARCHUS περὶ τῆς εἰς τὰ ἔκγονα φιλοστοργίας s. de amore prolis. p. m. 497.

catum, spectes, similitudinem quandam habere, cum nomine βιοθανάτου, quo notatos infamatosque fuisse a gentilibus veteres Christianos, nemo nescit. Multus est in explicanda huius vocis indole KORTHOLTUS *), qui Christi asseclas βιοθανάτους dictos fuisse censet, non quod per mortem ad vitam & immortalitatem perventuros se existimarent, (cur enim hanc sententiam illuderent gentiles, meliorem & ipsi sortem post fata sua sperantes?) sed quod violenta morte ob constantem doctrinæ cœlestis professionem perirent. **) — Prætereundum denique non est, quod *Erasmo* credere iubemur ***), Hegesiam Cyrenaicum appellatum fuisse ἀγρίαν μέλιτταν. Quæ verba feram quidem & agrestem apem proprie significant, sæpius

*) *In Pagano obtrectatore, sive de calumniis gentilium in veteres Christianos.* lib. 3. c. 17. p. m. 702. seqq.

**) Alio sensu vocem βιοθάνατος sumsit *Jo. Donne*, Anglus, seculo superiore clarus. Is enim, cum voluntariam mortem defendere vellet, librum edidit, hoc titulo: Βιοθάνατος, *a Declaration of that Paradoxe or Thesis, that Selfmurther is not so naturally a sin, that it maynever be otherwise.* London 1648. 1700. Pestilens sane liber & perniciosus, quo *Jo. Donne* idem, quod *Hegesias* eloquentia sua, effecisse dicitur. Cum enim prodiisset, adeo se multis probavit, ut haud pauci eius lectione ad mortem voluntariam adacti memorentur. V. *Morhofii* Polyhist. Tom. 1. lib. 6. c. 4.

***) *Erasmi* Adagia p. m. 312.

pius autem, *Svida**) testante, in hominem improbum atque crudelem transferuntur. Quis vero dubitat, improbitatis accusare eum, qui ad mortem sibi conscisendam alios compellit?

Age vero, paullo accuratius rem examinemus, &, quem habemus campum, in eo nos exerceamus. Quo in negotio duo perficienda videntur, primum ut *Hegesiæ* vitam & studia enarremus, deinde ut, qua polluisse dicitur, eloquentiam gravem, incitatam & fortem sub examen vocemus.

Iam primum satis constat, fuisse *Hegesiam* Cyrenaicæ sectæ philosophum atque Hegesiacæ scholæ, cui nomen dedit, auctorem. Quos habuerit parentes, quam patriam, quibus denique usus sit fatis, id vero plane ignoramus: tempus autem, quo floruit, non levi coniectura assequi licet. Equidem si verum esset, quod ait Laertius **), Hegesiam eadem, qua Anniceris, disciplina Paræbatis conformatum fuisse; sique dubitari non posset, Platonem, a Dionysio Siciliæ tyranno, quem loquendi libertate offenderat, vendi iussum, ab hoc ipso, quem nominavi, Anniceride redemtum fuisse ***): facile *Hegesiam* ad *Platonis* ætatem referre posses. Quod ipsum tamen *Laertius*, testis alioquin locupletissimus, licet nonnunquam humani

*) In Lexico. Tom. I. p. 38. edit. Cantabrig.

**) *De vitis philosophorum* l. 2. c. 8. n. 7.

***) *Laertius* l. c.

mani quid passus, evincere nullo modo potest, cum ipsæ temporum rationes nihil tale admittant. Fuit enim Plato eadem, qua Aristippus, tempestate clarus; multis autem post Aristippum annis inclarescere demum cœpit Hegesias. Accedit & id, quo nescio an maius afferri possit & illustrius. *Cicero* enim atque *Valerius Maximus* uno ore profitentur, a *Ptolemæo*, *Aegypti* rege, ulterius docere prohibitum fuisse Hegesiam, ne scilicet, quæ erat efficacissima eius eloquentia, ad mortis cupiditatem compelleret iuvenes. Iam sive *Ptolemæum* illum *Lagi* filium, sive *Philadelphum* fuisse dicas, habebis certe Hegesiam Platone multo iuniorem. Sed nolo pluribus verbis commemorare rem tam certam atque perspicuam.

Illud quærere lubet, quam regionem urbemque *Hegesias* disciplina sua illustrauerit. Recte omnino sentire videntur, qui Aegyptum hic nominant, & regiam illius urbem, *Alexandriam*. Hæc enim optimarum artium tunc temporis sedes erat & domicilium, Ptolemæi Lagi & Philadelphi munificentissima liberalitate constitutum. Hæc litteratissimis hominibus undique evocatis abundabat, quorum e numero *Euclidem*, *Theocritum*, *Callimachum* fuisse, nemo ignorat. Hæc celeberrimum habebat *Musæum*, doctissimorum virorum frequentia & certaminibus litterariis fæpenumero institutis clarum. Quo fiebat, ut, Græcorum præ-

præsertim studiis inter tot atque tanta bella, quæ Græciam dilacerabant, conticescentibus, viri egregie docti, præmiorum spe excitati, *Alexandriam* avide confluerent.*) Quare, quod plurimi fecerunt, id *Hegesias* quoque fecisse, & Alexandriam præ cereris adamasse existimandus est. Atque hoc ut credam, non solum veterum testimonia me movent, sed etiam illud ipsum Ptolemæi mandatum, quo Hegesias prohibitus fuisse dicitur, ne, vitæ miseriis cumulatis, mortem suaderet iuvenibus. Quid enim? num Ptolemæum tale quid mandaturum fuisse putas, nisi Hegesiam imperio suo subiectum & Alexandrinæ scholæ doctorem habuisset, quæ una tunc erat in omni Aegypto florentissima?

Dum vero Alexandriæ Hegesiam vixisse contendo, in mentem venit illud, quod *Athenæus* habet:**)

Ἰάσων ἐν τρίτῳ περὶ τῶν Ἀλεξάνδρου ἱερῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ φησὶν, ἐν τῷ μεγάλῳ θεάτρῳ ὑποκρίνασθαι Ἡγησίαν τον κωμῳδὸν τὰ Ἡροδότου.

i. e. *Iason libro tertio de Alexandri sacrificiis tradit, in Alexandriæ magno theatro Hegesiam*

*) Vide HERM. CONRINGII Antiquitates academicas pag. 27 seqq. & pag. 231 seq. editionis Heumannianæ. Diu floruisse scholam Alexandrinam, pristinamque laudem suam usque ad seculum post Christum natum IV servasse, docet AMMIANUS MARCELLINUS lib. 12. cap. 42. & GREGOR. NYSSENUS in Vita Gregor. Thaumat., cuius hæc sunt verba: Εἰς ἣν (τὴν μεγάλην τοῦ Ἀλεξάνδρου πόλιν) καὶ ἡ πανταχόθεν συνερρεῖ νεότης, τῶν περὶ φιλοσοφίαν τε καὶ ἰατρικὴν ἐσπουδακότων.

**) *Deipnosophist.* lib. 14. p. m. 620.

comicum historiam Herodoti egisse. Quid igitur? Num Hegesiam illum nostrum fuisse dicemus? Ego vero certi quid definire non audeo, quamquam facile persuaderi mihi patiar, habuisse Alexandriam Ptolemæi Philadelphi adeoque Hegesiæ ætate magnum theatrum; de quo dubitare nos non finit splendida illa atque illustris eiusdem *Ptolemæi pompa*, tot imaginibus ad vivum expressis, tot summorum artificum statuis, tot vasis aureis argenteisque, tot machinis, regiam magnificentiam fere excedentibus, conspicua.*) Sed neque hoc pacto res omnis ad liquidum perducitur.

Et nihil dixi, de secta, cui *Hegesias* nomen dedit, *Cyrenaica.* Cuius si percensere vellem placita, exscribendus mihi esset *Bruckerus***), nuper ad cœlestia evocatus. Neque etiam hoc negotio suscipiendo rem gratam lectoribus meis me facturum arbitror, maxime cum Hegesias & qui eum sequuti sunt, a Cyrenaicis valde discesserint. Hegesiaci enim docuerunt, τὴν εὐδαιμονίαν ὅλως ἀδύνατον εἶναι. τὸ μὲν γὰρ σῶμα πολλῶν ἀναπλεπῆσθαι παθημάτων, τὴν δὲ ψυχὴν συμπαθῆ τῷ σώματι καὶ ταράττεσθαι. τὴν δε τυχὴν πολλὰ τῶν κατ' ἐλπίδα κωλύειν. ὥστε διὰ ταῦτα ἀνύπαρκτον τὴν εὐδαιμονίαν εἶναι, τὴν δε ζωήν. τὸν δε θάνατον αἱρετόν. i. e. *fieri non posse, vt quis vitam ex omni parte beatam*

*) Copiose hanc pompam describit, & pecuniæ in eam impensæ summam, talenta bis mille ducenta triginta novem fuisse, affirmat *Athenæus* Deipnos. lib. 5. p. m. 196--203.

**) *Histor. philos. crit.* Tom 1. p. 584. seqq.

*beatam assequatur. Corpus enim multis morbis adfligi, animam vero simul cum corpore pati & turbari; fortunam quoque multa, quæ speremus, impedire. Hanc igitur ob caussam nullam esse vitæ felicitatem, nullam omnino vitam: mortem vero esse eligendam.**) Multa adhuc sunt, quæ *Laërtius* disputat; paucula tamen hæc adscribere placuit, quoniam facere videntur, ad rectius diiudicandam Hegesiæ eloquentiam, qua auditores suos ita inflammavit, ut mortis amore vitam sibi eripuisse dicantur.

De qua copiosissima eloquentia priusquam dicere adgredior, prætereundum non est, floruisse quondam alium *Hegesiam Magnesium*, dicendi facultate clarum, vitiis tamen quam virtutibus clariorem. Primus enim asiaticum dicendi genus, inflatum, redundans, & inanibus sententiis aliisque intempestivis ineptiis oneratum invexit, neglecta illa dictione attica, quæ non verborum abundantia, sed brevitate, non fuco & lenociniis, sed honesto cultu, non ostentatione, sed integritate maxime placet. Nec temere hæc culpa in Hegesiam transfertur. Testis enim est *Cicero***), qui, *apud alios*, inquit, *& Asiaticos maxime, numero servientes, inculcata reperias inania quædam verba, quasi complementa numerorum. Sunt etiam,*

*) Laertius de vitis philos. l. 2. c. 8. n. 8. p. m. 140.

**) In *Oratore* c. 67. 69. cf. eius *Brutum* c. 83.

qui illo vitio, quod ab Hegesia maxime fluxit, infringendis concidendisque numeris in quoddam genus abiectum incidant, Siculorum simillimum. Testis quoque est *Longinus* *), qui puerilem *Amphicratis*, *Hegesiæ* & *Matridis* affectationem tumoremque exagitaturus, hæc addit: πολλαχοῦ γὰρ ἐνθουσιῶν ἑαυτοῖς δοκοῦντες, οὐ βακχεύουσιν, ἀλλὰ παίζουσιν, i. e. *cum sibi deo pleni videntur, sæpe non divino adflatu loquuntur, sed pueriliter ludunt.* Testis denique est is, quem *Vossius* **) citat, *Dionysius Halicarnassensis*, qui genus scribendi μικρόκομψον, ἀγεννὲς, μαλθακὸν, i. e. illepidum, ignobile & languidum, Hegesiæ tribuit. Quare eo magis miror, qui factum sit, ut *Varro*, vir egregie doctus, Hegesiæ dictionem fractam & ipsa concinnitate puerilem, laudibus ornare non dubitaverit. ***) Neque tamen orationibus solum scribendis, quarum fragmentum est apud *Strabonem* lib. IX., sed etiam Alexandri M. historia concinnanda inclaruit *Hegesias*. Argumenta affert *Vossius*. ****) Iure autem ei exprobratur pessima adulandi libido. Quippe relatum legimus, dixisse Hegesiam, qua nocte

*) *De sublimitate.* c. 3. p. 16. editionis, quam Cel. *Moro*, Lipsiensis academiæ ornamento, acceptam referimus.

**) *De historicis græcis* l. 1. c. 12. p. m. 80.

***) Cicero ad Atticum lib. 12. c. 6.

****) *De hist. græc.* loc. cit.

nocte natus Alexander esset, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagrasse, minimeque id esse mirandum, quod Diana, cum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo.*) Quæ verba, si non Magnesium illum, de quo nunc sermo est, certe *Hegesiam Nicesiam* auctorem habere videntur, de quo *Athenæus*: Περὶ δε Ἡγησίου Νικησίου τυ Λλεξάνδρυ κόλακος Ἡγήσανδρος τὰ δ' ἱστορεῖ, Λλεξάνδρυ δακήεσθαι φήσαντος ὑπὸ μυῶν καὶ προθύμως ἀυτὰς ἀποσοβοῦντος, τῶν κολάκων τις Νικησίας παρὼν, ἤπου τῶν ἄλλων μυῶν εἶπεν ἄυται πολυκρατήσυσι, τοῦ σοῦ γευσάμεναι ἄιματος. i.e. *De Hegesia Nicesia, Alexandri assentatore, hæc refert Hegesander: Cum Alexander a musca se compunctum quereretur, ideoque muscas gnauiter abigeret, ex adulatoribus Nicesias quidam tum præsens, Aliis profecto muscis, inquit, hæ tuum sanguinem quæ degustarunt, præstantiores multo futuræ sunt ac strenuiores.***) In mentem hic veni-

*) *Hegesiæ* hæc tribuit Plutarchus; *Timæo* autem, qui regnante Agathocle inclaruit, Cicero *de Natura Deorum* l. 2. c. 27.

**) Athenaeus Deipnosophistarum lib. VI. p. m. 249. Omnem hunc locum non de muscis, sed de parasitis, alienæ mensæ inhiantibus, intelligendum esse, censet *Erasmus* (Adag. p. 560.), motus sine dubio impropria vocis significatione. *Muscæ* enim sæpenumero vocantur *parasiti*, nec non *curiosi*, qui exquirere omnia & penetrare student. Quare *Plautus* in *Pœnulo* Act. III. Scena III.

A muscis si mihi conuiuium quærerem,
adveniens, huc irem in carcerem recta via.

Atque idem in *Mercatore* Act. II. Scena III. v. 26:

Musca est meus pater, nihil potest clam illum haberi.

veniunt, quæ de Alexandri assentatoribus affert PLUTARCHUS. *Bagois*, inquit, *Agesiis & Demetriis sese tradidit affatim supplantandum, cum ab his adoraretur, vestiretur, adornareturque barbarici instar simulacri.* Ἀγησίαις habent codices fere omnes: Ἡγησίαις autem legendum esse puto, tum quod Hegesiam in adulandi libidinem propensissimum fuisse constat, tum quod Agesiæ nomen veteres auctores ignorant, nisi quis Aegesian s. Agesian statuarium opponere nobis velit, quem solo *Quintiliano* *) auctore laudat in Catalogo *Iunius*.

Hæc vero utcunque se habeant, certum quidem est & ab omni dubio remotum, scripsisse *Hegesiam* libros, licet fati iniquitate dudum ereptos. Memoratur potissimum *Ciceronis* liber eius ἀποκαρτερῶν, in quo a vita quidam per inediam discedens, revocatur ab amicis, quibus respondens, vitæ humanæ enumerat incommoda. **) Sunt, qui auctorem hic citant GELLIUM ***), libros commemorantem, quos, cum e Græcia in Italiam rediret atque in portu Brundusino spatiaretur, expositos videbat. Erant illi omnes libri græci, miraculorum fabularumque pleni: res inauditæ, incredibiles: scriptores veteres non parvæ auctori-

ta-

*) Instit. Orat. lib. XII. c. 10. n. 7.

**) CICERO Quæst. Tuscul. lib. I. c. 34.

***) *Noct. Atticar.* lib. IX. c. 4.

tatis, quorum in numero erat *Hegesias*. Verum enimuero hoc ipsum Gellii testimonium quanta difficultate laboret, quis non sua sponte intelligit? Potest enim Hegesias ille vel Cyrenaicus esse, vel Magnesius *) vel Maronites, qui de agricultura scripsit, vel poeta græcus Salamine oriundus, quem *cypriorum carminum* auctorem fuisse, *Athenæus* docet. **)

Omnibus his commemorandis planum me feciſſe arbitror id, quod in priori dissertationis parte illustrandum sumseram. Qua vero oratione, quibus verbis exprimere satis potero magnam illam eloquentiae, qua *Hegesias* πεισιθάνατος polluit, vim & efficaciam? Id enim adhuc restat. Quis autem, ut inde incipiam, quis rerum omnium tam ignarus, tam a vero alienus est, qui nesciat, quantam habeat vim eloquentia ad animos hominum commovendos? Hæc nos excitat, ut aut diligamus, aut invideamus, aut speremus, aut metuamus, aut lætemur,

*) Cui sententiæ fauet *Gronovius* ad Gell. lib. 9. c. 4. Provocat enim ad *Dionysium Halicarnass.* de compositione, ubi historia Alexandri M. ab Hegesia scripta commemoratur.

**) *Deipnosophistarum* lib. 15. p. m. 682. Cypria carmina, (κύπρια ἔπη sive κυπριακά) in honorem Veneris Cypriæ Homerum etiam scripsisse, testis est *Aelianus* Var. Histor. lib. IX. c. 15. Pindaro enim auctore narrat, Homerum, cum propter inopiam elocare filiam non posset, dotem ei Cypria carmina dedisse.

mur, aut lugeamus, aut misereamur, aut ira exardescamus. Hæc animum, quocunque res postulare videtur, ducit, impellit, abripit. Hæc cives rebelles & immorigeros ad obedientiam reducit, hostes profligat, tumultus compescit, & quæ natura perplexa atque impedita sunt, reddit expeditiora. Atque splendidas has eloquentiæ laudes, easque tantas, quantas non dicam exornare, sed enarrare nemo potest, innumera comprobant exempla. Quantum enim & quam illustrem fuisse putas *Periclem*, fulgurantem, tonantem, omnem denique Græciam permiscentem? Quantum *Demosthenem*, fractos abiectosque Athenienſium animos erigentem, & atrociſſimos Philippi impetus verborum fulmine profligantem? Quantum denique *Ciceronem*, quem orationis vehementia perturbasse & ex urbe eieciſſe ſcimus Catilinam, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefarie molientem, ferrum flammamque urbi minitantem?

"At, dixerit quispiam, vera ſunt hæc omnia "& tam perſpicua, ut qui ea neget, is tribus Anticyris caput inſanabile habeat neceſſe ſit: nolumus igitur audire laudes eloquentiæ toties decantatas; id quærimus, quo tandem pacto fieri poſſit, "ut eloquentia, quantumuis vehemens & acris, voluntariæ mortis excitet cupiditatem." Recte tu quidem, quisquis hæc requiris; atque ipſe ego, (cur enim diffitear, quod diſſimulare non poſſum?)

ipſe

ipse ego, cum primum *Hegesiam* πεισιθάνατον cognoscerem, impetrare a me vix poteram, ut rem tam miram narrantibus fidem meam adiungerem. Quis enim est tam sibi inimicus, qui non vitæ huius dulcedine capiatur, quemque, licet inter plurimas calamitates fortunæque insidias consenuerit, senectutis tamen suæ poeniteat? Sed circumspectis rationibus omnibus videre mihi visus sum, non vana esse, quæ de *Hegesia* narrantur. Quod ut crederem, duo me potissimum moverunt.

In mentem enim veniebant *primum* dogmata Hegesiacæ scholæ propria, quæ paullo ante commemoravi. Eorum vero hæc fuit ratio: in tanta vitæ humanæ miseria nihil morte exoptabilius esse, & ultimum illum diem maxime esse accelerandum, qui nos a doloribus, a morbis atque ærumnis liberet, quibus non corpus solum affligatur, verum etiam anima, corporeis hisce vinculis inclusa, excrucietur. Cuius quidem dogmatis falsitatem & turpitudinem nunc detegere, nihil attinet. Scimus enim mentis nostræ eam esse indolem, ut, quæ semel imbibit, penitusque sibi infixit, ea maxime sequatur, licet falsa sint, turpia & periculosa. Quare *Hegesiæ* assectis idem accidisse, mirum videri debet nemini.

Iam finge tibi *Hegesiam*, magna dicendi facultate instructum, & auditores vel orationis suavitate demulcentem, vel vehementia inflammantem.

Adde

Adde & hoc, quod omitti non debet, de voluntaria morte ita sensisse veterum philosophorum nonnullos, ut existimarent, recte sapienterque facere eos, qui vitam sibi eripiant, cum quia sit in hoc aliquid dignum magno fortique viro, tum quod vita ex eorum numero sit, quæ ἀδιαφορὰ vocantur, tum quod oppetendæ mortis consilium inire quisque cogatur, qui de re vel publica vel privata mereri amplius non possit.*) Hanc sententiam ita tuetur *Seneca* **), Stoicorum præceptis imbutus, ut adeo effoeminatissimam Rhodii illius Telesphori vocem

*) Lege omnino CICERONEM Quæstion. Tuscul. lib. 1, qui est de contemnenda morte. Nec desunt alii veterum auctores, qui, Stoicorum castra secuti, ἀυτοχειρίαν defendunt, laudique adeo ducunt, vitam sibi ipsi abripere. Horum tamen in numero neque PLATO est, neque ARISTOTELES. *Ille* enim lib. 9 *de legibus* docet, pusilli abiectique animi signum esse necem voluntariam. *Hic* vero lib. 3 Ethic. c. 7. *Mortem*, inquit, *sibi consciscere, ut vel paupertatem, vel amorem, vel molesti quidpiam fugiamus, non fortis viri est, sed timidi.* Et recte quidem. Violentam enim mortem non sustinet quispiam, ut boni quid patret, sed ut malum evitet. Molestias autem quocunque modo fugere velle, mollis ac languidi hominis est. Quamobrem non errant, qui SOCRATI, veneno se ipsum necanti, succensent, & timiditatem, tanto viro indignam, obiiciunt. Melius Socrate sensit PYTHAGORAS, qui nullam plane mortis voluntariæ excusationem admittit, vetatque, iniussu imperatoris, id est, Dei, de præsidio & statione vitæ decedere. CICERO de senect. c. 20.

**) Epist. LXX. LXXI. XII. XVII.

vocem fuisse dicat, qui cum in caueam coniectus esset a tyranno, & tanquam ferum aliquod animal aleretur, suadenti cuidam, ut abstineret cibo: *Omnia*, inquit, *homini, dum vivit, speranda sunt.* Quæ cum ita se habeant, & dubium sit nullum, quin eadem fuerit Hegesiacorum sententia; facile intelligitur, cur ad voluntariam mortem paullo fuerint propensiores, & violentas manus sibi inferre non dubitarint, *Hegesia* præsertim suasore, quem antesignanum & præceptorem habebant eloquentissimum. Sunt & alia, quæ probabiliter hic disputari possunt. Philosophia enim, si *Platonem*, *Pythagoram*, aliosque bene multos audias, nihil est aliud, quam meditatio mortis, quotidie de carcere corporis nitens educere animæ libertatem. O! præclaram admonitionem! eo certe sensu, ut ultima semper meditemur, & vivamus tanquam morituri, iterumque victuri. Atque hoc ipsum cogitasse, sibique propositum habuisse *Hegesiam*, licet non satis appareat; perspicuum tamen est, argumenta inde desumi potuisse, quibus ad augendam eloquentiæ vim, & animos auditorum commovendos uteretur.

Pertinere etiam ad disputationem nostram arbitror, veterum Philosophorum adeoque & *Hegesiæ* auditores non fuisse tirones, nullo rerum usu

peritos, &, ut fieri in pueris solet, cum summo voluptatis sensu vitam transigentes, sed interdum etiam viros, ætate provectiores, & rebus gerendis sustinendisque exercitatos. Horum igitur e numero si qui fuerunt, calamitatibus oppressi, vitæque suæ pertæsi; mirari profecto non subit, qui factum sit, ut *Hegesias*, dicendo plurimum valens, ad mortis voluntariæ cupiditatem eos perduxerit. Fac autem, fuisse hos homines non miseros, non calamitosos, & a vitæ huius miseria, quantum quidem homini licet, immunes; idem tamen illis accidere potuit, quod Cleombroto Ambrociatæ, quem dicunt, e muro in mare se abiecisse, lecto Platonis libro, in quo de immortalitate animæ disputatur.*) *Callimachi* quidem epigramma, hanc in rem conscriptum, ita, si latine interpreteris, habet.

Phoebe vale, dicens, de rupe Cleombrotus alta
Ambraciota, Stygis viuus adivit aquas.
Funere nil dignum passus; solumque Platonis
De vita mentis perpete legit opus. **)

Unicum adhuc afferre lubet, idque rei, quam examinamus, illustrandæ satis accommodatum. Est nimirum extra omnem dubitationis aleam positum, magnam esse opinionum morumque vim, eamque tantam, ut adeo naturam vincere, omnesque dolo-

rum

*) Cicero Quæst. Tusculan. lib. I. c. 34.
**) Callimachus Epig. XXIV.

rum cruciatus minuere videatur. Exempla requiris? Sunt autem ea tam multa, ut delectu opus sit. Quis igitur ignorat, adolescentium greges Lacedæmone olim incredibili contentione certasse pugnis, calcibus, unguibus, morsu denique, ut exanimarentur, priusquam se victos faterentur? *) Quæ porro barbaria Indiâ vastior est, aut agrestior? In ea tamen gente primum ii, qui sapientes habentur, nudi ætatem agunt, & Caucasi nives hiemalemque vim perferunt sine dolore; cumque ad flammam se applicaverint, sine gemitu adurantur. **) Mulieres vero in India, cum est cuiusvis earum vir mortuus, in certamen iudiciumque veniunt, quam ille plurimum dilexerit: plures enim singulis solent esse nuptæ. Quæ est victrix, ea laeta, prosequentibus suis, una cum viro in rogum imponitur: illa victa, moesta discedit. Quid denique de Aegyptiis dicam, tanta errorum pravitate olim imbutis, ut quosvis cruciatus, quamvis carnificinam prius subierint, quam felem, aut canem, aut crocodilum violarent? Quid de gladiatoribus romanis, quos inter nonnunquam fuisse scimus liberos homines atque adeo dignitate conspicuos, qui vel pretio inducti, vel insana

*) Cicero Quæstion. Tusc. l. V. c. 27.

**) Cicero l. c.

pugnandi libidine correpti, in arena sæpe decertarunt, animamque cum sanguine effuderunt? Hæc igitur si vera sunt, ut sunt veriſſima; non video, cur voluntariæ mortis libidinem in auditoribus ſuis excitare non potuerit *Hegesias*, auctoritate apud ſuos plurimum valens, atque idem efficaciſſima oratione animos in poteſtatem quaſi redigens. Neque tamen exiſtimare quis debet, probari a me, aut adeo laudari *Hegesiæ* eloquentiam. Licet enim magna eloquentia ſit utendum, atque ita velut ſuperiore è loco concionandum, ut homines mortem vel optare incipiant, vel certe timere deſiſtant: nihil tamen tam inhumanum eſt, quam dicendi facultatem, a natura ad ſalutem hominum & ad conſervationem datam, ad peſtem perniciemque ſocietatis humanæ convertere.

DE

DE

HISTORIA ROMANA

MAGNAM PARTEM

INCERTA ET IMPEDITA,

DISPUTATIO.

DE

HISTORIA KOMMUNIA

MUSEUM PALATII

IMPERII.

DISPUTATIO

Equidem non ſum neſcius, cum maxima ſit hiſtoriæ romanæ celebritas ſummumque ſtudium, fore, ut hic labor meus in varias incurrat reprehenſiones. Nam quibusdam totum hoc diſplicebit, dubitare, rerum ipſarum cauſſas altius indagare, convellere denique ea, quæ omnium conſenſu firmata putantur. Quidam autem non id tam vituperabunt: ſed tantum ſtudium ponendum in re tam antiqua non arbitrabuntur, cui, cum incerta ſit vitiisque ſcatens, medela afferri in tanta monimentorum inopia nunquam poſſit. Erunt etiam, contemnentes hæc ſtudia, qui ſe dicant in re elegantiori magisque venuſta operam malle conſumere. Contra quos omnes diſputare nunc nolo, nec etiam debeo. Etenim ſi delectamur, cum ſcribimus: quis eſt, tam invidus, qui ab eo nos abducat? ſi laboramus: quis eſt, qui alienæ modum ſtatuat induſtriæ? Quare ego hanc omnem quæſtionem de obſcuritate hiſtoriæ romanæ, quam explicandam ſumſi, eripi mihi non patiar, ſed, quantum potero, perſequar diligentiſſime.

Atque, ut omni me invidia liberem, benivolosque adeo obiurgatores placem, definiendi ſunt diſquiſitionis noſtræ limites. Neque enim id agimus, ut omnis in univerſum hiſtoriæ romanæ fidem labefactemus, rerumque a victore quondam populo geſtarum gloriam minuamus: quod, ne quid peius dicam, iniquum foret, & ex genere eorum, quæ fieri non poſſunt. Sed id quærimus, utrum hiſtoria romana, res ab Urbe condita ad quintum usque ſeculum geſtas complexa, digna omnino ſit, cui fidem adiungamus plurimam. Hoc vero qui neganr, hanc hiſtoriæ partem qui claram atque perſpicuam putant, nos habebunt adverſarios. Neque etiam impetrare a nobis poſſumus, ut cum iis faciamus, qui tot tamque excellentes hiſtoricos inter Romanos floruiſſe arbitrantur, quot Græci oſtentant, quibus, cum ſint propemodum innumerabiles, non habent quos opponant Latini, niſi *Salluſtium*, *Livium* *), *Suetonium* & *Tacitum*. Sed de hoc quæ nobis ſtet ſententia, alio iam loco ſignificavimus. **)

Nunc autem preſſius agamus, & ea, quæ modo diximus, paullo accuratius examinemus. In quo, ne fallamur, aut fruſtra laboremus, fundamenti loco ponendum eſt hoc, quod omnes concedunt. Quid enim

*) Quintilianus Inſtitut. Orat. lib. X. c. I. n. 101.

**) *Abhandlungen aus der Geſchichte und Litteratur* p. 47. ſeq.

enim apertius, magisque perspicuum, quam quod in rerum gestarum annalibus describendis habenda maxime sit ratio, cum monimentorum litterarumque publicarum, tum testium, quorum maxima est auctoritas, si voluntate æque ac facultate veri dicendi instructi sunt, si res vel ipsi gesserunt, vel tempore eo, quo gestæ sunt, vixerunt, vel ab idoneis acceperunt auctoribus. Ex quo intelligitur, nullam esse historiam, aut certe lubricam vitiisque coopertam plurimis, quæ his quasi fulcris non nitatur, nec ex iis fontibus hausta sit, unde omnis fides manat. Est enim historia, si CICERONEM audias, *) testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis. Iam quod potest esse testimonium, quæ veritas, quæ memoria, si monimentorum luce non collustrata sint omnia, tenebrisque tantum non involuta? Quod cum fit, accidere solet illud, ut historiæ leges migrentur, quarum hæc prima est, ne quid falsi dicere audeat.

His ita positis, sequitur id ipsum, quod disquirendum paullo ante sumebamus. Duo autem sunt, ad quæ in omni orationis nostræ cursu diligenter attendi volo. Quorum *alterum* pertinet ad antiquissima rerum romanarum monimenta; *alterum* ad vetustissimos, quos Latium tulit, historicos. Quare si commonstravero, illa,

*) *De Oratore* lib. 2. c. 9.

quæ dixi, monimenta vel incendio deleta, vel quocunque triſti fato erepta fuiſſe tum, cum hiſtoriæ romanæ ſcribi coepiſſent; hos vero hiſtoricos ſubleſtæ ac fere nullius fidei eſſe: planum me feciſſe arbitrabor, haud exiguam rerum a Romanis geſtarum partem vel ignorari, vel fabuloſe narratam eſſe.

Atque huius aſſertionis noſtræ argumentum hoc eſt vel maximum, quod antiquiſſima Romanorum monimenta, ſi non omnia, plurima certe, præmaturo fato erepta mox periere. Nihil hic dicunt, ac fruſtra litem movent, qui monimenta quædam communem temporum calamitatem effugiſſe, atque noſtram adeo ætatem ruliſſe, clamitant. Quis enim negat? Aut quis tam vel a vero alienus eſt, vel rerum omnium ignarus, quin videat & largiatur, in monimentis tabulisque publicis conficiendis omnem omnium diligentiam ſuperaſſe Romanos? Habuerunt enim Annales, quos vocant, maximos, faſtos, leges, SCta, libros cenſuales, fœderum pacisque tabulas, inſcriptiones, acta S. P. Q. R., magiſtratuum edicta, res bellicas diligenter conſignatas & ad Senatum perſcriptas, ac ſi quæ his ſimilia ſunt γράμματα δημόσια. Namque omnia recenſere, nunc nihil attinet. Cave autem, credas, iam inde ab initiis Urbis, aut primis poſt U. C. ſeculis, tot & tam præclara extitiſſe monimenta. Tantus enim rei militaris omninoque publicæ amor occupaverat mentes, ut parvæ &

raræ

raræ per eadem tempora literæ essent, *) eaque facile negligerentur, quorum scientia posteris erat profutura. Quamobrem non est, quod magnopere doleamus, omnia fere, quæ ad posteritatis memoriam in litteras publicas privatasque relata erant, interiisse. Quod quidem factum est anno U. C. CCCLXV, cum expugnata a Gallis Roma misere extingueretur. Tum vero nulli mortalium parci, diripi tecta, exhaustis iniici ignes, undique audiri sonitus flammæ, undique fragor ruentium tectorum; omnia autem incendiis atque ruinis æquari. Testem requiris? En Livium, quo locupletiorem vix habeo, licet permulti magno id consensu trädant. Ita vero ille: *Quæ ab condita urbe Roma ad captam eandem urbem Romani sub regibus primum, consulibus deinde ac dictatoribus, decemvirisque ac tribunis consularibus gessere, foris bella, domi seditiones, quinque libris exposui; res quum vetustate nimia obscuras, velut quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur; tum quod parvæ*

*) Ita quidem Livius lib. VI. c. I. Egregie autem errant, quotquot inde colligunt, per ea tempora, adeoque quarto post U. C. seculo (de hoc enim loquitur *Livius*,) nullam fuisse inter Romanos scribendi artem. Quid enim? Num, si verum hoc esset, *Livium* dicturum fuisse putas, *parvæ erant & raræ literæ?* Accedit, quod obscurum esse nemini debet, *litteras* sæpenumero significare ipsos rerum gestarum annales, & quævis monimenta literis mandata.

parvæ & raræ per eadem tempora literæ fuere, una custodia fidelis memoriæ rerum gestarum; & quod etiamsi quæ in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa urbe pleræque interiere. *) Illustre vero testimonium, reique nostræ, quod omnes vident, mirum quantum inserviens! Conqueritur enim Livius de antiquissimæ historiæ romanæ obscuritate, quod & sæpius fecit. *Tanti*, inquit idem lib. II. c. 21., *tanti errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut, nec qui consules, nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate, non rerum modo, sed etiam auctorum, digerere possis.* Neque minus luculenta sunt hæc: *Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falsisque imaginum titulis, dum familia ad se quæque famam rerum gestarum honorumque fallente mendacio trahunt. Inde certe singulorum gesta, & publica monimenta rerum confusa. Nec quisquam æqualis temporibus illis scriptor extat, quo satis certo auctore stetur.* **)

Nolo plura afferre. Satis enim, vel me non monente, hinc intelligitur, tantam a Livio dici antiquioris historiæ romanæ obscuritatem, quanta fere esse solet, cum summa est. Neque vero id mihi videtur mirandum, cum causas tantæ difficultatis allegari videam plurimas.

*) Lib. VI. cap. 1.
**) Lib. VIII. c. 40.

Primo enim vetuſtatem ipſam, temporumque longinquitatem accuſat LIVIUS. In rebus verò tam antiquis enarrandis, quis eſt tam diligens ac ſollers, quin in plurimos præcipitetur errores? Certe quod de communi hominum vita dicit PLAUTUS:*)

Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, cum etiam cavet,

Etiam cum caviſſe ratus, ſæpe is cautor captus eſt,

id vel maxime in rerum geſtarum annalibus vetuſtiſſimis locum habet. Famæ enim ſtandum eſt, ubi vetuſtas derogat fidem. At o! lubricam incertamque famam! quæ vanis vanorum hominum ſermonibus, vel obſoletis traditionibus in immenſum, ut fieri ſolet, aucta, res geſtas in maius ſemper extollere geſtit, ita ut falſa ſæpe pro veris narrentur, multa autem poëticis exornata fabulis miraculisque tradantur. Quæ quantopere credulos homines & gentis ſuæ amore captos delectent, dici vix poteſt.

Deinde antiquiorem Romanorum hiſtoriam obſcuram dicit LIVIUS ideo, *quia raræ per ea tempora fuerunt litteræ.* Et ſane eo usque raræ primis Urbis temporibus fuerunt, ut non modo res tunc geſtæ uberioribus litterarum monimentis non fuerint mandatæ diligenter, & cuſtoditæ ad poſteritatem, ſed & ut annorum numerus ac memoria

*) Captiv. Act. II. ſcen. 2. v. 5.

moria publice fuerit servata tantum clavo, in parietibus sacrarum ædium per annos singulos fixo, qui inde clavus annalis dicebatur. Hæc PERIZONIUS*), quem, cum manifesta sit res atque tironibus nota, non hercle citarem, nisi omisisset vir summus, quod diffitendum non est, sed præ nobis ferendum. Scilicet in summa illa litterarum raritate exstiterunt tamen & tunc Annales maximi, carmina saliaria & fescennina, leges XII tabularum, libri pontificum & ii, quos linteos, vocant; ne quid de aliis publicis privatisque litteris dicam, quarum vix nomina supersunt. Magnum, opinor, lumen tot monimentis historiæ affundi potuisse romanæ, si *vel* desumere inde multa memoratuque valde digna licuisset, *vel* in fatali illa Urbis conflagratione flammis maximam partem non consumta fuissent. Sed de utroque mox.

Sequitur *tertia*, quam LIVIUS affert, caussa, cur in rebus tam vetusto seculo gestis magnopere laboret Annalium fides. *Nec quisquam*, inquit, *æqualis temporibus illis scriptor extat, quo satis certo auctore stetur.* Equidem si VOSSIO, viro πολυμαθεστάτῳ, credere licet, parum abest, quin errasse LIVIUM existimemus. Dicit enim,**) vicinis Sabinorum, Tarentinorum, Etruscorumque

*) *Animadvers. Historic.* p. 180. edit. Amstelod. 1685. Nuperrime adeo elegantissimum hunc librum in lucem prodire iussit *Harlesius*, vir egregius.

**) De historicis latinis lib. 1. c. 1. p. m. 4.

que oppidis ſuos forſan fuiſſe annales, qui multa cum Romanorum geſtis communia haberent, & unde poſterioris ævi ſcriptores deſumere poſſent plurima. Utut vero concedatur, habuiſſe illas gentes Annales: quis quæſo veterum ſcriptorum eos vidit? quis laudavit unquam? quis non vituperavit atque contemſit? Nam Tarentini, qua erant ad voluptates resque ludicras propenſione, non Principum, non hominum optime de patria meritorum, ſed Scurrarum nomina in annalibus commemorabant. Ideoque laudare eos non poteſt LIVIUS, *Hoc quoque*, inquiens, *moribus ſuis corrupta civitas debet, ut celebrata ſint annalibus Scurrarum nomina, Tarentinorum Principum ignorentur.**) Sed eſt adhuc aliud, quod obiici a nonnullis ſolet. Citant enim Dioclem Peparethium, Antiochum Syracuſanum, Theophraſtum, Hieronymum, & quem non? Sic autem effecturos ſe putant, ut credamus, extitiſſe olim æquales temporibus antiquiſſimis ſcriptores, eosque teſtes oculatos. O! plumbeum pugionem! Tune ſolus ille es, qui omnes hos auctores quinto demum poſt V. C. ſeculo vixiſſe, neſciat? aut diverſas hac in re, & inter ſe diſſidentes eruditorum ſententias ignoret? DIONYSIUS enim HALICARNASSENSIS primum rerum Romanarum ſcriptorem facit Hieronymum; Theophraſtum PLINIUS. Cuius verba adſcri-

*) Lib. XXI. c. 9.

adscribere lubet. *Theophrastus primus externorum aliqua de Romanis diligentius scripsit, — — qui fuit urbis nostræ CCCCXL anno.* *) Neque tamen historiam scripsit Theophrastus, sed plantarum naturam & genera est persequutus, nec nisi obiter res romanas tetigit. Illud igitur, quod antea dictum est, defuisse iam olim scriptores temporibus illis æquales, vehementer Livio assentimur, inque eo maxime probamus diligentissimi viri accurationem.

Iam vero id, quod *quarto* loco ponimus, non longam orationem requirit, quamobrem existimet Livius, *funebribus laudationibus* vitiatam fuisse rerum antiquissimarum memoriam. Quis enim hoc ignorat, quamlibet familiam, quo est illustrior, eo magis virorum, quos quasi sinu suo fovet, excellentium laude delectari, eosque defunctos mirum quantum concelebrare, & ad memoriam laudum domesticarum, & ad illustrandam nobilitatem suam? Aut quis nescit, oratores romanos, quoties virorum demortuorum virtutes commemorarunt, toties fere vel amori, vel adulationi, vel timori, vel etiam ingenio suo dedisse plurimum? Atque constat quidem, litteris diligenter mandatas & custoditas fuisse eas, quas diximus, laudationes: quæ vero illarum esse poterat fides? quæ utilitas? Imo vero, quam calamita-

*) *Hist. Nat.* lib. 3. c. 9.

mitatem, quod damnum non intulerunt historiæ romanæ, cui in tanta vetustissimorum annalium inopia his quoque laudationibus carere non licebat? Recte igitur CICERO:*) *Quamquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta in eis, quæ facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, & ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus.*

Alia caussa, valde lubricam sublestamque efficiens historiæ romanæ fidem, est in *vanitate* hominum ac *superstitione*. Quæ res, licet sit historiæ inimica errorumque turbulentorum fons uberrimus, nescio tamen, an Romanis vehementer debeat exprobrari. Dic enim mihi gentem vel unicam, quæ non originem suam ad Deum aliquem auctorem referat, et, quanto est laudis avidior, tanto illustriora faciat imperii sui initia? Quare mirum non est, idem accidisse Romanis, summa laudis dulcedine captis, & ad gloriam quacunque via grassantibus. Verissime igitur LIVIUS: *Quæ ante conditam condendamve urbem, poëticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monimentis traduntur, ea nec affirmare, nec refellere, in animo est. Datur hæc venia antiquitati, ut, miscendo humana di-*

*) In Bruto c. 16.

divinis, primordia urbium auguſtiora faciat. En tibi cauſſam, cur in antiquiſſimis Romanæ gentis annalibus veritatis veſtigia, non modo leviter impreſſa & obſcura appareant, verum etiam nulla.

Sed longe maius damnum, idque irreparabile attulit fatalis illa *Urbis conflagratio.* De qua quoniam paullo ante diximus, age, videamus nunc, quæ illo incendio perierint, quæ non. Atque hic magna ſtatim ſe offert contentio. Nam ad *Annales maximos* quod attinet, variæ ſunt eruditorum opiniones: aliis quidem omnem eorum interitum dolentibus, aliis de ſervata tanti tamque antiqui monimenti utilitate lætantibus. Nec vero ignoro, Annales iſtos ſæpius a CICERONE commemorari. *Hiſtoria,* inquit,*) *nihil aliud erat, niſi annalium confectio; cuius rei, memoriæque publicæ retinendæ cauſa, ab initio rerum Romanarum uſque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes ſingulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus, referebatque in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi; ii qui etiam nunc annales maximi nominantur.* Quæ quidem ſcripſit CICERO, annalium brevitatem ſimplicitatemque laudaturus. Addit enim: *Hanc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, qui ſine ullis ornamentis monimenta ſolum temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum reliquerunt.* Num autem colligi inde ullo pacto poteſt, extitiſſe ve-

*) De Oratore lib. 2. c. 12.

veterrimos Annales poſt incenſam urbem, atque adeo Ciceronis ætate? Minime vero. Id video, exiliter inculteque ſcriptos fuiſſe Annales maximos; quod vel de iis, qui poſt incendium Urbis ſcripti erant, intelligi volebat Cicero, vel coniectura aſſequi facile quiſque poterat, cum ipſa temporum barbaries atque inſcitia tale quid ſuaderet. Nos quoque, ut hoc utar, *Bardorum*, vetuſtiſſimorum Germaniæ poetarum, carmina laudamus, inque iis magnos atque ſublimes ſenſus infuiſſe credimus ideo, quoniam gens, quantumvis barbara & elegantioris doctrinæ gloria carens, ſpiritus tamen habere poteſt, magnitudinem ſublimitatemque. Cuius iudicii argumentum afferri poteſt hoc, quod Ossianus, nono, ut putatur, poſt C. N. ſeculo Scotiam adhuc rudem & horridam illuſtrans, carmina fudit ævo digna, quæ nunc demum e tenebris protracta eſſe, cumque eruditis communicata, optimus quiſque impenſe lætatur. — Sed, ut eo revocetur, unde huc declinavit oratio, videamus nunc id, quod repugnare ſententiæ noſtræ videtur. Atticus enim apud Ciceronem:*) *Poſt annales*, inquit, *Pontificum maximorum, quibus nihil poteſt eſſe iucundius.* Sunt, quos ultima hæc vox offendat, quique legi malint, *ieiunius* aut *nudius* **). Sed teneamus lectionem

*) De legibus l. 1. c. 2.

**) Vossii hanc eſſe coniecturam, didici ex eius *de Hiſtoricis græcis* libro pererudito l. 1. c. 1. ubi idem

ctionem uſitatam &, ut puto, veram. Quidni enim Annales dici queant iucundi, cum eſſent antiquiſſimi? Solent nimirum, quæ antiquitatis habent commendationem, vehementer nobis probari, &, quo ſumus in res vetuſtas propenſiores, eo magis noſtram movere admirationem, licet, quale ſit earum pretium, valde ignoremus. Et quid multa? Nunquam LIVIUS, quamvis plerosque auctores citet, ex Annalibus maximis ſua hauſiſſe profitetur, aut ad hos quaſi fontes digitum intendit.*) Nunquam DIONYSIUS HALICARNASSENSIS, in recenſendis iis, quos adhibuit, auctoribus diligentiſſimus, Annalium mentionem facit. Nunquam PLUTARCHUS, POLYBIUS, & ſi qui ſunt rerum antiquiſſimarum ſcriptores fide digni, Annales iſtos commemorant ita,

idem vir ſummus de Annalium Max. dictione & de pretio ipſis ſtatuendo hæc habet: "*Non peccare "mihi videor, qui Commentarios ſummorum viro- "rum*, pueritiam vel etiam infantiam Hiſtoriæ "*appellem. Quippe antiquiores iis ſcriptores non "habuit romana hiſtoria. Rudes etiam & incon- "diti, imo facundiam ſi ſpectes, plane infantes "fuerunt.*

*) Ad annales quidem ſæpiſſime provocat, v. c. l. III. c. 8. l. IV. c. 34. l. VII. c. 9. 18. 42. l. VIII. c. 18. 23. 30. l. IX. c. 15. 42. l. XXI. c. 25. l. XXII. c. 31. Neque tamen unquam affert eos, quin de varietate, obſcuritate ac confuſione eorum queratur. Quod ipſum declarat, non de *Annalibus maximis* loqui Livium, ſed de libris in univerſum hiſtoricis, quos *Annalium* nomine inſignire ſolent Latini.

ita, ut vel verbulum inde depromsisse putandi sint.*) Accedit, quod, cum civitas in labore assiduo reficiendæ Urbis conflagratæ teneretur, in primis fœdera ac leges, quæ comparerent, Senatus conquiri iuberet; ex quibus alia in vulgus etiam edita; quæ autem ad sacra pertinebant, a pontificibus maxime, ut religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa. Hæc LIVIUS; quem Annales maximos silentio non prætermissurum fuisse puto, si e tam gravi casu servati fuissent. Maneat igitur hoc, interiisse vetustissimos illos

*) Adversari tamen & negotium nobis facessere videtur GELLII locus Noct. Att. l. IV. c. 5. "*Tunc "igitur, quod in Etruscos haruspices male consu-"lentes animadversum vindicatumque fuerat, ver-"sus hic scite factus cantatusque esse a pueris urbe "tota fertur:*

Malum consilium consultori pessimum est.

Ea historia de haruspicibus ac de versu isto senario scripta est in Annalibus maximis libro undecimo. Quæ verba, utut sententiæ nostræ inimica, adscribere, quam callide celare, malui. Salva enim res est. *Sive* enim versum ipsum, quem Gellius affert, spectes, qui barbaram illam antiquissimorum temporum latinitatem plane non redolet; *sive* id cogites, expressum esse versum eundem de Græco Hesiodi, quo tamen auctore aliisque scriptoribus græcis illa, qua res gesta est, tempestate, non utebantur Romani; *sive* hoc etiam addas, videri nonnullis Gellii locum de Annalibus ENNII, quos Maximos quidam appellarunt, intelligendum; facile, vel me non monente, videbis, nihil esse, quod metuamus, aut adeo nostram sententiam abiiciamus.

Annales ante incenſam Urbem ſcriptos, hisque amiſſis hiſtoriam rerum Romanarum irreparabile cepiſſe damnum. Erat enim, ut antea ex CICERONE dicebamus, erat hiſtoria tum nihil aliud, niſi annalium confectio. Quem quidem morem non niſi usque ad P. Mucium Pontificem maximum, hoc eſt, ad annum circiter DCXXI permanſiſſe, idem ille CICERO teſtatur. Itaque & hic magna ſe denuo offert lacuna, non prius expleta, quam cum Cæſar Actorum diurnorum confectionem inſtitueret, ut ea Annalium Maximorum locum obtinerent.

At, dixerit quispiam, ſervati tamen ſunt Commentarii Pontificum, ſervati libri cenſuales, ſervatæ leges, fœdera, Faſti, & quæ ſunt eius generis plurima. Hæc vero ad illuſtrandam hiſtoriam multum valuiſſe, tune ſolus ignoras? Facilis eſt & promta ad hæc reſponſio. Namque in *Commentarios Pontificum* non niſi ea relata fuerunt, quæ ad ſacra rite celebranda & ad omnem religionem pertinerent. Iam ſi publicati fuiſſent hi libri, non occultati & ab hominum conſpectu remoti: credo, inde redundaturam quidem fuiſſe ad rerum geſtarum Annales utilitatem, ſed perexiguam, & graviſſimo hiſtoriæ munere vix dignam. Fac enim, legiſſe quemquam atque adeo perdidiciſſe omnes, qui hodie ſunt, libros rituales: quid ille? quid? Num idoneus erit ad ſcribendam hiſtoriam, cuius eſt, res geſtas enarrare, earumque nunc cauſſas in-

indagare, nunc conſecutiones exponere? Verum-tamen ſcribet ille quidem, quoniam legendi habet facultatem. Hæc vero Romanis ne conceſſa quidem fuit. Cui enim Commentariis Pontificum uti licuit? Quis admiſſus ad eos unquam fuit?*) Quare aut exiguam aut nullam fuiſſe Commentariorum utilitatem, iure noſtro adfirmamus.

Atque idem de *Faſtis* dicendum, quos, ſcimus, fuiſſe deſcriptiones dierum faſtorum, interciſorum, de quibus poeta:**)

Ille nefaſtus, per quem tria verba ſilentur:
Faſtus *erit, per quem lege licebit agi.*
Neu toto perſtare die ſua iura putaris:
Qui iam faſtus *erit,* mane nefaſtus *erat.*

Patet igitur, pertinuiſſe Faſtos non ad hiſtoriam romanam, ſed ad ius civile; cui quidem magis fuiſſent profuturi, ſi per ſegnitiem hominum atque inertiam id licuiſſet. Namque veteres illi, qui huic ſcientiæ præfuerunt, obtinendæ atque augendæ poteſtatis ſuæ cauſſa, pervulgari artem ſuam noluerunt.***) Erat nimirum ius civile repoſitum in penetralibus pontificum, qui cum Faſtorum curam haberent, tum e re ſua eſſe putabant, eos

*) Livius lib. IV. c. 3. *Obſecro vos, ſi non ad faſtos, non ad commentarios pontificum admittimur; ne ea quidem ſcimus, quæ omnes peregrini etiam ſciunt.* — —

**) Ovidius Faſtor. I. v. 43. ſeq.

***) Cicero de Oratore lib. I. c. 41.

diligenter occultari. Tandem vero CN. FLAVIUS anno circiter CCCCXLIX ius civile evulgavit, faſtosque circa forum in albo propoſuit, ut, quando lege agi poſſet, ſciretur.*) Atque hinc enatum eſt ius Flavianum, non faſtos ſolum, ſed etiam formulas, quibus homines inter ſe diſceptarent, ſollemnes complexum, quas ſtupenda diligentia collegit BRISSONIUS **), additis formulis militaribus, ſacris & familiaribus. Horum igitur omnium, quæ tangere, quam enarrare malui, hic eſt finis, ut intelligatur, haud ita multum valuiſſe Faſtos ad hiſtoriam rerum romanarum illuſtrandam, tum quod ſero in lucem eſſent protracti cumque populo communicati, tum quod ad ius Romanorum civile maxime ſpectarent. Iam ille ego quidem non ſum, qui affirmare ſuſtineam, nullum eſſe iurisprudentiæ romanæ atque hiſtoriæ vinculum; quod quam ſit amicum ac fere ſororium, omnes intelligunt. Si quid tamen video, longe maior atque præſtantior eſt utilitas, quam iurisprudentiæ affert hiſtoriarum ſtudium, quam quæ e iurisprudentia ad hiſtoriam redundare videtur. Hæc enim ali & creſcere ſine illa facile poteſt; ſine hac illa vires quaſi & ſanguinem amittit.

Sequuntur leges XII *tabularum*, quas e tanto incendio ſervatas, LIVIUS his declarat verbis: *In pri-*

*) LIVIUS lib. IX. c. 46.

**) *De formulis & ſollemnibus populi romani verbis.*

*primis foedera ac leges (erant autem eae duodecim tabulae, & quædam regiæ leges), conquiri, quæ comparerent, iusserunt: alia ex eis edita etiam in vulgus &c.**) Has vero leges, dici vix potest, quanta, quamque illustri laude exornet Cicero. *Sive quem*, inquit, *aliena studia delectant, plurima est — — — in XII tabulis antiquitatis effigies, quod & verborum prisca vetustas cognoscitur, & actionum genera quædam maiorum consuetudinem vitamque declarant: sive quis civilem scientiam contempletur, — — — totam hanc descriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus, XII tabulis contineri videbit.* Et paucis interiectis: *Fremant omnes licet; dicam quod sentio: bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare.***) Hac igitur laude quæ potest esse maior, & ad XII tabularum leges ornandas illustrior? Neque temere sic pronunciasse videtur vir summus. Habet enim antiquitas magnam suavitatis commendationem, nec facile quis est, quem non patria sua delectet, cuius rei tanta est vis, ut Ithacam illam, in asperrimis saxulis, tanquam nidulum, affixam, Ulysses immortalitati anteponeret. Quare ego Ciceroni vehementer assentior. Laudat enim XII tabulas

*) Lib. VI. c. 1.

**) Cicero de oratore lib. I. c. 42. f.

ob priſcam verborum vetuſtatem, quæ & in carminibus ſaliaribus mirifice placet *Varroni*. Laudat tanquam fontem, unde deſumi queant, quæ ad mores & ad inſtituta maiorum pertinent, & ad pernoſcendum ius civile valent plurimum. Sed egregie falluntur, quotquot harum legum utilitatem nimis extollunt. Poterat inde diſciplina & temperatio civitatis intelligi; quod quidem, tantum abeſt, ut negligendum putemus, ut potius ab hiſtoria ſeiungi non ſine magno detrimento poſſit. At enimvero quis non videt, antiquiſſimos reip. mores his legibus non illuſtrari, cum anno demum trecenteſimo tertio, quam condita Roma erat, a Decemviris e Græcia collectæ fuerint, nec ſtatim omnes, ſed decem tabulæ, quibus deinceps duæ acceſſerunt. *) Itaque audiendi non ſunt, qui leges iſtas tanquam magnum aliquod antiquiſſimæ hiſtoriæ romanæ κειμήλιον nobis commendant, easque ſolas efficere dicunt, ne in tantis tenebris reptare, ac vera pro falſis amplecti cogamur.

Age vero, videamus nunc, annon *leges regiæ* velut lumen quoddam obſcuris illis rebus adhiberi queant,

*) Livius lib. III. c. 34. Dionysius Halic. lib. X. c. 54. In illuſtrandis XII. tabularum legibus, quarum non niſi fragmenta hodie ſuperſunt, ſummam diligentiam poſuerunt Lipsius, Hotomannus, Rittershusius, Rosinus, Gravina, &, qui primo loco nominandi erant, Jac. Gothofredus in fontibus iuris civilis, Jo. Nic. Funccius in Comment. in leges XII. Tab. & Everardus Otto in peculiari de legibus XII. Tab. Diſſertatione.

queant, largamque præbeant discendi materiem. Et illud quidem inter omnes constat, plurimas a Romulo ceterisque regibus latas esse leges, quas *Publius Papirius*, regnante Tarquinio Superbo clarus, primus collegisse dicitur, quarumque hodie extant fragmenta, a *Lipsio*, *Merula*, *Sylvio*, *Sylburgio* aliisque edita. Hos igitur duces comitesque sibi eligat, quem talia delectant. Ego enim cur argumenta istarum legum recenseam, aut barbarum illorum temporum sermonem exagitem, quod Cicero fecit?*) Pauca monuisse sufficiat, ne quis magnam accessionem ad historiæ studium his legibus factam existimet. Ac primo quidem regiæ leges non illustrant res domi militiæque olim gestas, non consilia, in administranda civitate tum adhiberi solita, non auctos imperii fines, non fœdera, non denique artes populi adhuc bellicosi, nec tamen plane rudis; sed de iuribus matrimonii atque parentum, de homicidio, de contractibus, de terminis, de fœnore, de ære alieno, deque aliis quamplurimis agunt, quæ e iure naturæ tanquam fonte hausta sunt, reique publicæ, qualis tum erat, accommodata. Hæc vero, quis credat, ita esse comparata, ut antiquissimæ Romanorum historiæ

*) Cicero de Orat. lib. I. c. 9. *Quid enim? in Numa Pompilio, quid? in Ser. Tullo, quid? in ceteris regibus, quorum multa sunt eximia ad constituendam rempublicam, num quod eloquentiæ vestigium apparet?*

ſtoriæ lucem affundere queant? Atque utinam ſervata fuiſſent, quæcunque a regibus conſignata fuerunt, aut certe eos auctores habuerunt! Eo enim, ignaviæ dicam, an ſuperſtitionis? proceſſerunt Romani, ut, igne per victimarios facto, in conſpectu populi cremarent Numæ Pompilii libros, in agro L. Petillii ſcribæ, ab agricolis, dum terram fodiendo inverterent, repertos, & ius Pontificum pariter ac diſciplinam ſapientiæ tradentes.*)

Sed prætereunda non ſunt *fœdera*, erepta fatali incendio, rerumque geſtarum monimentis pernicioſo. Hæc vero qualia fuerint, non docet Livius; certe non niſi fœdus cum Ardeatibus ictum affert ita, ut vidiſſe illud legiſſeque videatur.**) Quare confugiendum eſt ad Horatium, poetam quidem illum

*) Valerius Maximus lib. I. c. 1. n. 12. Livius lib. XL. c. 29.

**) Lib. IV. c. 7. In enarrandis quidem plurimorum foederum argumentis diligens eſt & copioſus Livius; utrum vero tabulas foederum authenticas & prima exemplaria viderit, id quidem eſt, quod dubito; propterea quod Licinium, Fabium Pictorem, libros magiſtratuum, aliosque, quibus uſus eſt, auctores allegat ſæpiſſime, foedera fere nunquam. Atque idem de foedere inter Romanos & Albanos, Tullo Hoſtilio regnante, icto verba faciens, *nec ullius*, inquit, *vetuſtior foederis memoria eſt.* Quod ſi verum eſt: credere debemus, evanuiſſe foedera omnia, inde ab U. C. ad centeſimum fere annum percuſſa.

illum, ſed tamen teſtem.*) Commemorat autem ille

— — — — *Foedera regum*
Vel Gabiis, vel cum rigidis æquata Sabinis.

En igitur tria fœdera, Ardeatinum, Gabinum, & id, quo in amicitiam recepti ſunt Sabini. Atque hæc eadem ſunt, quorum meminit DIONYSIUS HALICARNASSENSIS, qui primo loco nominandus erat. Verum enimvero neque hic plura fœderum exempla citat, ſi a paucis diſceſſeris, quæ ſuam ætatem tuliſſe, & vel columnis inſculpta, vel in clypeis taurino tergo coopertis ſcripta fuiſſe affirmat.**) Addi poterat POLYBIUS, cui foedus cum Carthaginienſibus anno DIX ante C. N. percuſſum unice debemus. Omnes enim alii hiſtoriæ Romanæ ſcriptores alto id ſilentio prætermittunt, remque omnem turpiter ignoraſſe, CASAUBONO videntur.***) Quod quidem vel ſocordiam veterum auctorum arguit, vel id vehementer comprobat,

*) Lib. II. epiſt. I. v. 24. 25.

**) DIONYS. HALIC. lib. II. c. 55. lib. III. c. 32. lib. IV. c. 26 & 58.

***) POLYBIUS lib. III. c. 22. CASAUBONUS in Synopſi chronologic. hiſtor. Polyb. Tom. II. p. 1587; quem librum æque eruditum, ac reliqua omnia, quæ tantum tamque immenſæ lectionis virum auctorem habent, allegat BARBEYRACUS in ſplendido opere, cui titulus eſt: *Hiſtoire des anciens traitéz* Tom. I. p. m. 75. artic. 97.

bat, quod idem POLYBIUS habet.*) Is enim ingenue fatetur, antiqua fœderum exempla tam fuiſſe obliterata, &, ſive peregrinos literarum ductus, ſive obſoletas barbarasque voces ſpectes, tam intellectu difficilia, ut vel ab eruditiſſimis hominibus vix ac ne vix quidem legi potuerint. Quamobrem mirari non ſubit, in tanta rei difficultate ab auctoribus illis multa fuiſſe omiſſa, aut non ſatis intellecta. Hinc magnæ illæ narrationum diverſitates, atque inſignes opinionum diſcrepantiæ, quæ ſane efficiunt, ut dubius ſit lector, &, quam amplectatur ſententiam, anceps hæreat. Exempla requiris? Sunt autem ea infinita, nec latere quemquam facile poſſunt. Sed e multis unum: quoniam quæ antea dicebamus, egregie illuſtrat. Porſennam nimirum, ſcimus, fœdus dediſſe Romanis. Id, ſi LIVIUM & DIONYSIUM HALICARNASSENSEM audias, ita fuit percuſſum, ut nec debilitarentur reip. vires, nec priſtina mutaretur libertas. Iam audi PLINIUM:**) *In fœdere, quod expulſis regibus Populo Romano dedit Porſenna, nominatim comprehenſum invenimus, ne ferro niſi in agricultura uterentur. Et ſtilo ſcribere vetitum****), ut vetuſtiſſimi auctores prodiderunt.* Ergone

*) Libr. III. c. 22.

**) Hiſt. Nat. lib. XXXIV. c. 14.

***) HARDUINUS legendum putat *intutum* i. e. minime tutum; ſed magis arridet lectio *Gronoviana*, utpote clariorem ſenſum fundens. Hanc igitur ſequuti ſumus.

gone pax cum Porſenna æquis conditionibus facta, Romanorumque libertas non immutata fuit? Egregiam vero libertatem, ubi ferro uti non licet, niſi in agricultura. Vides igitur, quam longe a vero abſint Livius & Dionysius, quos, credo, aliter fuiſſe iudicaturos, ſi in conſilium fœdus illud adhibuiſſent. Et potuiſſent ſane, cum ſua adhuc ætate id extitiſſe, haud obſcure doceat Plinius.

De *libris linteis* dicam breviſſime; licet res ex eo ſit genere, ut ſatis amplam præbeat ſcribendi materiem. Namque & hic variæ ſunt eruditorum opiniones. Alii quidem libros iſtos tanquam publica monimenta fideque digna extollunt; alii ad privatarum rerum commentarios relegant. Atque qui priorem ſententiam amplectuntur, magnam ſibi patrocinium a Livio parari putant. Cuius hæc ſunt verba: *Quis ea in re ſit error, quod tam veteres annales, quodque magiſtratuum libri, quos linteos in aede repoſitos Monetæ Macer Licinius citat identidem auctores, nono poſt demum anno cum T. Quintio Penno, A. Cornelium Coſſum conſulem habeant; exiſtimatio communis omnibus eſt.**) Sed repugnare videtur Plinii locus, quo poſteriores illi ſe defendunt atque tuentur: *Poſtea publica monimenta plumbeis voluminibus: mox & privata linteis confici coepta, aut ceris.***) Habes igitur

*) Lib. IV. c. 20.

**) Hiſt. Natur. l. XIII. c. 11. Ad quem locum Harduinus, poſtquam monuit, non hic intelli-

igitur utriusque ſententiæ duos auctores, eosque ſatis illuſtres. Veruntamen, ſi dicendum quod res eſt, non me placant PLINII verba, quippe quibus evinci nulla ratione poteſt, publica monimenta linteis voluminibus nunquam confecta fuiſſe. Alia certe omnia credere iubemur & *Symmacho*, qui libros Sibyllinos in linteis tabulis ſcriptos affirmat*), & *Codici Theodoſiano*, ubi legem Conſtantini eadem ratione ſcriptam invenimus.**)

Nec ligendam eſſe chartam ex linteis contritis & maceratis confectam, hoc etiam addit: *Ante XIII ſeculum a Chriſto nato, chartæ noſtræ receptum uſum docet Ioinvellei epiſtola ad S. Ludovicum Franciæ regem, qui in eiusmodi charta exarata, viſa a nobis & perlecta eſt.* Quod, neſcio, an obſervatum ſit GERARDO MEERMANNO virisque doctis, quorum *epiſtolas & obſervationes de chartæ vulgaris ſeu lineæ origine* edidit *Iac. van Vaaſſen*, Hagæ Comitum 1767.

*) Lib. IV. epiſt. 34. *Et Marciorum quidem vatum divinatio caducis corticibus inculcata eſt: monitus Cumanos lintea texta ſumſerunt; tu etiam ſericis voluminibus, Achæmenio more, infundi litteras præcipis.*

**) *Aeneis tabulis, vel ceruſſatis, aut linteis mappis, ſcripta per omnes civitates Italiæ proponatur lex, quæ parentum manus a parricidio arcent.* C. Theod. tit. 27. l. 11. Bibliothecam templi Traiani, quæ *Vlpia* a gentili Principis nomine dicta eſt, refertiſſimam fuiſſe libris linteis, teſtatur VOPISCUS in Aureliano c. 1 & 8. Cf. FUNCCIUS de ſcriptura veterum.

Nec leve eiusdem rei præiudicium facit hoc, quod libri lintei in æde Monetæ repositi fuerunt. Atqui in templis non reponi solebant libri, nisi publica auctoritate muniti. Verum utut hæc se habeant, haud ita magna tamen istorum librorum fides fuisse videtur atque utilitas. LIVIUS enim hæc volumina non nisi ter citat, ac fere semper Licinio auctore, quem toties totiesque sequitur.*) Atque idem discrepantes eorundem librorum editiones affert, quæ, tantum abest, ut fidem augeant, ut potius debilitent, suspectamque reddant. Quare ego existimo, libros linteos non magnæ fuisse ad historiam illustrandam utilitatis.

Venio nunc ad *libros censuales*, quos τιμητικὰ γράμματα vocat DIONYSIUS, qui & sua ætate eos extitisse, dubitare nos non sinit.**) Neque obscurum

*) Lib. IV. c. 8. 20. 23. Idem auctor libri cuiusdam lintei Samnitum meminit l. X, c. 38; sed ille nihil ad nos.

**) DIONYSIUS HALICARN. Antiq. Rom. l. 4. Idem lib. 1. τιμητικῶν ὑπομνημάτων mentionem facit; ita quidem, ut privatis familiarum illustrium usibus inserviisse, ad augendam vero rerum publice gestarum cognitionem nihil fecisse videantur. CICERONE enim teste, ipsæ familiæ sua quasi ornamenta ac monumenta servabant, & *ad usum*, si quis eiusdem generis occidisset, & *ad memoriam* laudum domesticarum, & *ad* illustrandam nobilitatem suam. Brut. c. 16.

ſcurum cuiquam eſſe poteſt, quales fuerint libri cenſuales, quippe eo conſilio ſcripti, ut nota eſſent nomina atque ætates civium, uxorum, liberorum & ſervorum, porro domicilia, pecuniæ ſumma, prædia urbana & ruſtica. Quorum quidem omnium magnus fuit in rep. uſus, isque in imperandis tributis, ſcribendisque militibus maxime conſpicuus. Quis vero mihi inde depromere, quis extorquere poteſt, quæ ad hiſtoriam pertineant, cuius eſt, res graviores magisque memorabiles narrare, nec acta modo, eventusque & præcipites imperiorum caſus, ſed conſilia quoque & rationes exponere, ac improborum vitia, bonorum virtutes demonſtrare ita, ut inde quisque ſibi ſuæque reipublicæ, quod imitetur, capere poſſit. Sed quantamcunque cenſualium librorum utilitatem fuiſſe dicamus, parum tamen adiumenti inde paratur antiquiſſimæ Romanorum hiſtoriæ. Namque exeunte demum ſecundo poſt U. C. ſeculo Servius Tullius inſtituit cenſum, rem tanto futuro imperio ſaluberrimam.*)

Reſtant *Acta diurna* S.P.Q.R. Ea enim locum ſibi hic iure ſuo depoſcunt, cum ad hiſtoriæ romanæ fidem maximum facere videantur momentum. Quis enim, ad memoriam rerum olim geſtarum incorrupte conſervandam, non utilia putet hæc monimenta, quibus quidquid in ſenatu, in populo,

*) Livius lib. I. c. 42.

populo, in iudiciis, concionibusque actum esset, diligenter narrabatur. Sed longe aliter se res habet. Obstat enim SUETONIUS, quo me fateor impediri, quo minus istam amplectar sententiam. Is enim auctor credere nos iubet, *Cæsarem primum instituisse, ut Acta Senatus & Populi diurna conficerentur, & publicarentur.* *) Quæ verba, non ignoro, quantopere displicuerint DODWELLO, REINESIO, PIGHIO, & GRÆVIO, acta diurna Cæsare antiquiora esse affirmantibus. Neque tamen illis assentitur est ERNESTI, vir summa laude dignus, sed omni maior. Quo magis etiam atque impensius lecta eius disputatione **) gavisus sum, quod videbam, frustra in suspicionem adduci SUETONII locum, & falsa temereque conficta esse *fragmenta* ea, ***) quæ movere nos debent, ut Acta diurna primo Cæsaris consulatu longe superiora credamus. Repugnat enim dictio, purior atque ornatior, quam anno ab U. C. DLXXXVI, ad quem fragmenta illa

 referun-

*) SVET. in Cæs. c. 30.

**) Extat illa in *opusculis philologico criticis*, quæ Lugd. Batavor. 1764 prodierunt, p. 45. seq.

***) Quæ adhuc supereſſe dicuntur Actorum diurnorum fragmenta extant in STEPH. PIGHII Annalibus Tom. 2. p. 378, unde in suum *Inscriptionum antiq. Syntagma* retulit THOM. REINESIUS. Habet eadem DODWELLUS in fine Prælection. Camdenianarum, Jo. NIC. FUNCCIUS in *Tract. de virili ætate linguæ lat.* Tom. I. p. 44. Tom. II. p. 177. seq.

referuntur, fuisse, tot loquuntur eiusdem ætatis scriptores & monimenta.*) Repugnat auctoritas SUETONII, viri in monimentis rerum gestarum in-

*) Quod ne cui obscurum sit, adscribere lubet unum alterumve Actorum diurn. fragmentum.

Ad IIII. Kal. Sept.

Funus Metellæ Piæ Vestæ Virginis Illatæ Sepulchro Suorum Maiorum Via Aurelia.

Censores Locaverunt Reficiendum Tectum AII. Loquentis H. S. XXV.

Q. Hortensius Sub Vesperum Orationem Habuit Pro Rostris De Censura & Bello Allobrogum.

Reliquiæ Coniuratorum Cum L. Sergio Tumultuantur In Hetruria.

Caupo Ad Tres Tabernas Occisus A Thracibus Ebriis In Via Publica.

(Hæc vero dum accuratius perpendo, parum abest, quin mutem sententiam, quæ me olim inducebat, ut fidem Fragmentorum, de quibus nunc sermo est, impugnarem ideo, quia purior eorum dictio ab iis temporibus, ad quæ referri solent, aliena esse videtur. Quid enim? Nonne illa ipsa ætate floruit PLAUTUS? cui CICERO (de offic. lib. 1.) iocandi genus *urbanum*, *elegans & ingeniosum* tribuit, quemque GELLIUS (Noct. Attic. l. 7. c. 17 & lib. 19. c. 8.) *linguæ latinæ decus*, *& hominem elegantiæ in verbis latinæ principem* appellare non dubitat. Nonne eadem tempora illustravit *Terentius*? cuius in laudem vix maius quid dici potest, quam id, quod CICERO de amic. c. 24. habet: *Terentiano verbo libenter utimur.* Quidni igitur fragmenta illa seculo post U. C. sexto exeunte scripta esse, saltim scribi potuisse dicamus?

investigandis diligentissimi, & ingenio ad eas intelligendas satis instructi. Repugnant denique alia multa, quibus WESSELINGIUS fragmentorum illorum fidem convellit. Quamobrem Suetonio toto pectore assentimur, nec quemquam futurum putamus, qui Acta diurna, utpote primo demum Cæsaris consulatu confici coepta, ad antiquam Romanorum historiam explanandam vel minimum valere dicat. Neque maiorem vim habent *acta urbana*, quorum apud *Ciceronem* mentio est.*) Ea enim non publica auctoritate, sed privatim a servo aut liberto conscripta esse, cum DODWELLO affirmat is, quem modo laudavimus, ERNESTI.**)

Nolo in recensendis publicis Romanorum instrumentis longior esse. Quæ enim restant, vel pauca sunt, vel recentiora, ideoque ad fidem eam, quam nunc quærimus, non idonea. Satis etiam id mihi demonstrasse videor, quod ab initio posui, cum haud exiguam historiæ romanæ partem perplexam dicerem, erroribusque scatentem. Atque hoc ipsum confirmatur frequentissimo scriptorum dissensu, quo sæpe ita impedimur, ut, quid probemus, quid reiiciamus, non facile possit reperiri. Dies me deficeret, si, quæ hic se offert, dicendi materiem complecti vellem. Sed tanto breviori

*) Ad Attic. l. 6. epist. 2.

**) Lib. cit. p. 51.

mihi esse licebit, quanto minus res plurimorum exemplorum luce indigere videtur. Quis enim hoc nescit, quam variæ sint & inter se discrepantes eruditorum opiniones de conditore Urbis, de tempore, quo condi coepit, de Romulo, eiusque vel nativitate, vel regno, vel obitu, de virginum Sabinarum raptu, de Numæ cum Nympha Egeria consuetudine, de aquila Tarquinio apicem imponente, de Lucretia mortem sibi consciscente, de Roma a Porsenna rege debellata, de Mucio Scævola, de Horatiis & Curiatiis, de Cloelia Tiberim tranante, de primo Dictatore Romæ creato, de Tribunorum plebis origine, de Lupercalibus, Vestalibus, Saturnalibus, Nonisque Caprotinis. *) Quæ omnia, si enarrare vellem, in longum me sermonem vocarent. Sunt enim infinita. Hic nos igitur vereres auctores parum adiuvant, quoniam in rebus tam antiquis, & monimentorum æque ac testium idoneorum fide destitutis, verum invenire non potuerunt, sed multa quærendo, difficultates reperierunt eas, quas negant ullo modo posse dissolvi. Quæ cum ita sint, mirum profecto videri debet nemini,

*) Vide Livium per integrum fere librum I. & Dionysium Halicarn., Plutarchum aliosque passim. Nec omittenda est Boivini Dissertatio *sur l'epoque de Rome*, inserta libro elegantissimo, qui inscribitur: *Memoires de l'Academie des Inscriptions & de belles lettres* Tom. II. p. 428. seqq. Notæ etiam sunt Cluverii, Bochartı & Ryckii disquisitiones.

nemini, obſcuram eſſe ac incredibili quadam difficultate ſeptam Romanorum hiſtoriam, eam maxime, quæ res inde ab U. C. ad quintum uſque ſeculum geſtas complectitur.

Ac quoniam in illuſtrando argumento eo, quod a monimentorum vel inopia vel tenuitate petitum eſt, paullo fuimus prolixiores, non vagabitur oratio noſtra longius, ſed hic tandem, velut munere ſuo defuncta, conquieſcet. Equidem conſtitueram, de veterrimis hiſtoriæ romanæ auctoribus dicere, quorum quaſi fontibus pectora ſua irrigarunt poſterioris ævi ſcriptores. Quod vero dum perficere aggredior, rem omnem paucis expediri poſſe intelligo. Namque primum omnium ſatis conſtat, FABIUM PICTOREM, VALERIUM ANTIATEM, LICINIUM MACRUM, TUBERONEM, ENNIUM, ceterosque, quos nunc volumus, auctores, non fuiſſe earum rerum teſtes, quarum fides maxime labat. Quamobrem falli, errare, decipi, inque fraudem induci, quantumvis diligentes, facile potuerunt. Deinde haud ita magnum habuiſſe videntur monimentorum excutiendorum ſtudium, nec indefeſſam, quæ in rebus antiquis requiritur, laboris patientiam. Quod præclare viderunt & ingenue faſſi ſunt viri egregii, qui deinceps hiſtoriâ ſcribendâ inclaruerunt. *Fabio* enim *Pictori*, longe antiquiſſimo auctori & temporibus belli Annibalici æquali, POLYBIUS

exprobrat levitatem, partiumque studium, quod, dici vix potest, quam sit veritati inimicum. Quo quidem crimine Polybiano liberare illum studet S. V. Ernesti, sed ita, ut certi quid definire non audeat. Dicit enim: *Contra eam* (Polybii sententiam) *quæ mihi venerunt in mentem, explicare institui: quod me spero, etiamsi errem, tamen hoc excusatius esse facturum, quo sæpius ipse contra nobilissimos quosque scriptores antiquos disputat.* *) Sed longe graviora sunt, quæ Valerio Antiati, obiiciuntur. Habet enim ille reprehensores acerrimos, eosque non hercle patellarios deos, sed viros iudicandi facultate, doctrinæque copia egregie instructos. Quorum e numero unum nominasse sufficiat Livium. Is vero nihil prorsus habet, quod in Valerio laudet. Mendacem enim, ventosum, resque omnes immoderatius efferentem illum facit: **) quo nihil esse potest turpius, & rerum gestarum scriptori magis contumeliosum. Iam quid de L. Sisenna dicam? quem in historia puerile quiddam consectari,

*) Opusc. phil. crit. p. 104.

**) Lib. XXXIII. c. 10. 30. XXXIV. c. 15.

sectari, longissimeque a summo abesse, affirmat CICERO.*) Quid de LICINIO MACRO, summæ loquacitatis & impudentiæ homine? **) Quid de TAMUSIO? de quo SENECA: ***) *Annales Tamusii scis, quam non decori sint, & quid vocentur*, nempe quod Annales Volusi, cacata charta. Nimirum VOLUSIUS ille, ineptus poeta & scriptor Annalium, pessime habetur a Catullo, ****) dubio adhuc, utrum cremandos eos censeat, an illuc deferendos, ubi thus & piper venduntur, & quidquid chartis amicitur ineptis. Habuerunt igitur, quod ex dictis apparet, habuerunt Romani haud paucos rerum suarum scriptores, non quidem diligentes & accuratos, sed mendaces, sed leves, sed inepte stultos. Quamquam non sum ignarus, multos contra esse dicturos. Provocabunt enim ad Asellionem; afferent etiam Tuberonem; laudabunt denique Catonem, ut alios omittam, qui CICERONEM & DIONYSIUM illustres habent

*) *In Bruto* c. 74. *de legibus* l. I. c. 2.

**) *De legibus* l. I. c. 2.

***) Epist. XCIII.

****) Carm. 36. v. 1. 20. XCIII. 7.

virtutum ſuarum præcones. Atque illi, qui ſic loquuntur, ſatis quidem bene. Quo autem pacto ſeſe expedient, ſi Atticum audierint ingenue fatentem, ſua adeo, hoc eſt, Ciceronis ætate ignorari hiſtoriam? *) Aut quomodo ſe defendent, ſi legerint, quæ de Varrone dicit CICERO: **) *Nos in noſtra urbe peregrinantes, errantesque, tanquam hoſpites, tui libri quaſi domum deduxerunt, ut poſſemus aliquando, qui & ubi eſſemus, agnoſcere. Tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum iura, tu ſacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem regionum & locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſſas aperuiſti.* Quoniam igitur conſtat, ſerius a Romanis cultam fuiſſe hiſtoriam, & veterrimos quosque eorum hiſtoricos paullo eſſe negligentiores, nec fide ſatis dignos: haud inique colligi inde poſſe videtur, antiquiſſimam rerum Romanarum hiſtoriam valde eſſe incertam, plurimisque impeditam difficultatibus.

Sed

*) *De legibus* l. I. c. 2.

**) Tuſc. Quæſt. I.

Sed satis iam huius disputationis magnitudo crevit. Quamobrem, ne qua defatigatio animos legentium retardet, quod in sermone nimis longo evitari vix potèst: finiamus tandem hic, nec iis diutius immoremur, quæ probabiliter adhuc poterant disputari. Cuius rei veniam eo facilius me impetraturum puto, quoniam non defuerunt, quorum diligentiam idem hoc argumentum exerceret. Namque legere memini, scripsisse auctorem quendam, cuius me nomen latet, commentationem, haud longe, si titulum legas, a nostra hac aberrantem. *) Huius vero

*) *Sur l'incertitude de l' histoire romaine.* (Plura nunc de hoc libro commemorare licet, cuius inspiciendi facultatem fero quidem & disputatione mea dudum edita nactus sum, quem vero ob argumenti similitudinem avide, nec sine magno voluptatis sensu legi. Prodiit *Ultraiecti* a. 1738, hoc titulo pleniore: *Dissertation sur l'incertitude des cinq premiers siecles de l' histoire Romaine,* par *Monsieur L. D. B.* Duæ illius sunt partes, quarum prior in enarrandis iis versatur, quæ antiquioris Rom. historiæ fidem subtestam reddunt; posterior de antiquissimis eiusdem historiæ momentis, v. c. de origine Urbis, de Romulo, de Servio Tullio, Porsenna, Camillo aliisque rebus vel obscuris, vel fabulosis, differit prolixius.)

vero inspiciendi facultatem qui habent, videant, quam demum viam vir ille ingressus sit, iidemque nos edoceant, an oppugnarit everteritque sententiam SALLIERII, quem audio, historiæ romanæ antiquissimæ fidem ab objectionibus dissentientium vindicasse. *)

*) Vid. *Memoires de l' Academie des Inscriptions & des belles lettres.* Tom. 8. edit. Amstelod. SALLIERIUS repugnantem sibi habuit virum doctissimum, DE POUILLY, quem ex certamine hoc superiorem discessisse, nec tamen tantum, quantum fieri poterat, lucis, rei tam obscuræ affudisse dicimus.

DE

DE
SCHOLARUM FAMA
PROLUSIONES TRES.

DE

ANATOMIA

PROLUSIONES TRES.

Prolusio I.

Una est & consentiens omnium vox, vehementer expetendam esse *gloriam*, non quidem inanem illam atque ventosam, sed veram, quæ multis magnisque vel in patriam vel in omne genus humanum meritis comparatur. Insidet enim in optimo quoque virtus quædam, quæ noctes diesque animum gloriæ stimulis concitat, atque admonet, non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam.*) Videmus itaque generosum hunc ardorem in maximis ingeniis altissimisque & existere plurimum, & se ostendere facillime. Non potest enim quidquam abiectum aut humile tentare, qui eam vitam consequi studet, quam naturæ iniquitas non sicut humana omnia in angustum conclusit, quæque annis non consumitur, sed vires ab illis capit, & tempore ipso maior meliorque efflorescit. Atque hanc ipsam vitam eo ardentius expetunt heroes, eruditi, & quotquot insigni aliqua arte pollent, quoniam, dum corporeis hisce vinculis continentur,

*) Cicero pro Archia c. XI.

tur, iniquos ſæpe ac maleuolos rerum bene geſtarum iudices habent, poſt fata vero æquam nanciſcuntur poſteritatem, quæ ſuum cuique decus rependit. Nam

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi. *)

At enimuero, quanta quanta ſit gloriæ ſuavitas, quæ optimum quemque movet, allicit & ſolatur, cauendum tamen eſt, ne nimia illius dulcedine ineſcati, omnia ad gloriam referamus, eâque omnem felicitatem contineri exiſtimemus. Non enim magnæ ſolum moleſtiæ, magna incommoda ſubeunda ſunt iis, qui gloriam ſitiunt & per hominum ora volitare volunt; ſed multum quoque vanitatis ineſt nimio gloriæ ſtudio. Quod, ſi quis alius, ANTONINUS certe egregie docet; qui *exiguum*, inquit, *ſane tempus, quod vivit quisque; perexiguus etiam terræ, in quo vivitur, ungulus; etiam longiſſima poſt obitum fama, exigua res; quæ & ipſa per ſucceſſionem conſeruatur homunculorum mox morituorum, ac ne ſe quidem ipſos cognoſcentium, nedum eum, qui iam pridem fato conceſſit.* **)

Dixi de gloria, cuius non poteſt non honeſtiſſimum eſſe ſtudium, quoties virtutis via ad immortalitatis laudem graſſamur. Nec temere & præter

*) HORATIUS lib. III. Od. 24.

**) ANTONINUS περὶ ἑαυτὸν πρὸς ἑαυτὸν l. 3. §. 8.

præter necessitatem hæc attigisse arbitror. De *fama* enim, &, quæ huic generi subest, *de scholarum fama* disputaturo hoc præsertim datum esse videbatur, ut, quantum hæc a *gloria* differat, ostenderem brevissime. Hoc vero discrimen quam late pateat,

paucis nunc, aduerte, docebo.

Scilicet *gloria* est laus consentiens bonorum, & incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute; *famam* vero dicimus communem quandam ac consentientem opinionem & tanquam publicum civitatis testimonium. Quæ differentia, licet a nonnullis negligentius obseruetur, tamen optimorum scriptorum auctoritate munita est, nec ampliori indiget demonstratione. *) Itaque hoc unice agam, ut, quæ ex utriusque definitione inter se collata fluunt, breviter perstringam. Sunt autem, ni omnia me fallunt, hæc potissimum: I. Gloriam semper comitatur fama, at fama sine gloria esse potest. II. Gloria virtute paratur, &, si Ciceronem audias, **) suauissimum est laborum periculorumque præmium; fama autem eorum quoque

*) Lege tamen, si placet, Curtium l. IX. c. 10. n. 24. Quintilianum l. V. c. 3. Ciceronem Quæst. Tusculan. l. 3. c. 2.

**) Pro Archia Poeta. c. XI.

quoque disseminat nomina, qui vitiis excellunt & quotidie audent

aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum.

III. Gloria difficilis quidem est & operosa, sed tamen constans, solida, nec facile interitura; at fama anceps est, incerta, mendax atque caduca, tum maxime, cum stultorum improborumque consensu excitatur. IV. Gloria strepitum non amat, nec temere tumultuatur; fama autem certo loco stare nescit, semper movetur, modo occulte serpit, modo aduolat ultro impatiens, modo furit atque bacchatur, & ut Proteus ille

omnia transformat sese in miracula rerum. *)

V. Gloriæ natura non in sermonibus, sed in re & animis quærenda est; famam vero malignitas plerumque gignit, credulitas alit, vana lætitia sustentat, & consternati timores, seditioque repens, dubioque auctore susurri in immensum augent. VI. Gloria bonis annumeratur rebus, fama vero malum est, quoniam facile euanescit & magnarum sæpe calamitatum fons est.

Hæc igitur si vera sunt, ut sunt verissima, num fieri posse credis, ut magnum illud, quod gloriam inter famamque intercedit discrimen, in dubium vocare quis audeat? Putasne, veriorem esse eorum sententiam, qui utraque voce promiscue utuntur?

Sed

*) Virgilius Georg. l. IV. p. 445

Sed quid multa! Lege elegantissimam famæ Virgilianæ descriptionem, tum certe videbis, veriora esse, quæ diximus, quam ut infirmari negando possint. Quædam illius verba huc transscribere iuvat.

Fama, malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.
Parva metu primò, mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo & caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, irâ irritata Deorum
Progenuit, pedibus celerem & pernicibus alis.
Monstrum horrendum, ingens: cui quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter, (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures. *)

Quis vero pictor melioribus coloribus monstri huius imaginem exprimere potest? Quis est, quin sentiat, quanta huic loco insita sit vis, quanta sublimitas & magnificentia?

Atque ne hæc, quæ disputavi quæque augeri facile possent, si longiori mihi esse liceret, ne igitur hæc superflua videantur, aut scribentem me impediant: age, nunc ad id, quod propositum erat, acce-

*) Aeneid. l. IV. v. 174. seqq. Eandem descriptionem, quæ Grammaticos quosdam morosos atque difficiles irritavit, (MACROBIUS Saturnal. lib. 5.) egregie imitatus est OVIDIUS, qui, ingenii ubertate fretus, in certamen cum summo poeta descendere non timuit, METAMORPH. l. XII. v. 39. sq.

accedamus, & quæ ad *ſcholarum famam* pertinent, paullo accuratius examinemus. Eſt vero hoc argumentum ex eo genere, ut latiſſime pateat, amplioremque ſibi depoſcat pertractationem. Quare etiam id mihi non ſumo, ut paucis hiſce pagellis omnem rem circumſcribere audeam. Nec tamen ea prolixitate utar, quam adhibere ſolent homines quidam male ſeduli, qui quidquid loquuntur aut ſcribunt, tanta diligentia excutiunt, ut moleſtiſſimi fiant, & vel riſum excitent vel ſtomachum moveant. Hos enim ſi imitari vellem poſſemque, facile prævideo, librum vix ſuffecturum eſſe, qui, ſi magnum malum vocari poteſt, tunc certe debet, cum parum utilis eſt moleque ſua laborat, (ut ſcite admodum & ad veritatis amuſſim enunciavit *Callimachus*.) Satius itaque erit, providere, ne in prolixitatis ſuſpicionem incurram; quam quidem evitaturum me arbitror, ſi, quæ diſputanda erunt, ad quatuor hæc momenta revocem. Primum enim docebo, *quanti æſtimanda ſit ſcholarum fama*; diſquiram porro, *num famæ huic inſeruire liceat, ac, ſi licet, quanta illius eſſe debeat cura*; oſtendam deinceps *media, quibus ſcholarum famæ optime conſulitur*; ſignificabo tandem, *quam incommoda ſit illuſtris & peruagata ſcholarum fama.*

Atque ut inde oratio mea proficiſcatur, unde hæc omnis cauſa ducitur; *ſcholarum famam* dico eſſe

esse diffusas peruulgatasque plurimorum opiniones de scholarum vel præstantia & flore, vel vitiis & decremento. Has vero dum in bonas malasque dispesco, rem lippis atque tonsoribus notam significare mihi videor. Sic enim fieri solere quotidie comperimus, ut, quod laudatur ab his, vituperetur ab illis. Nec raro etiam iudicant homines magis odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam veritate, aut iuris norma aliqua, aut iudicii formula. *) Quare mirum videri nemini potest, si de scholis quoque non idem sentiunt omnes, sed illi ipsi litterarum ludi, quos alii laudibus extollunt, vehementer ab aliis vituperantur ac tantum non deprimuntur. Equidem permultos queri audio, esse hinc inde scholas adeo dissolutas atque deformes, ut, etiamsi velis, laudare tamen nullo modo possis. Quod si verum est & firmissimo experientiæ testimonio comprobatur; (comprobari autem, quis negare audet?) magnæ profecto gratiæ iis agendæ sunt, qui pessimam harum scholarum famam disseminant, omnesque dehortantur, ne pueros suos in hæc flagitiorum latibula deferant. Quid enim? Nonne scelerum officinæ magis quam bonæ mentis sacraria dici debent scholæ, ubi omnes nituntur in vetitum cupiuntque negata, ubi discussis verecundiæ repagulis in omne vitiorum genus effunduntur iuvenes, ubi

*) CICERO de Oratore l. 2. c. 42.

denique ſpes impunitatis maxima eſt peccandi illecebra? Nonne miſera &, ne quid peius dicam, deploranda eſt ſcholarum conditio, quibus præſunt magiſtri, qui vel nimia facilitate auctoritatem infringunt, vel ſeveritate amorem minuunt, vel peſſimam vitam agunt, vel in officio claudicare non erubeſcunt? Has itaque ſcholas contemnere, has ignominia notare, has deteſtari ac, ſi fieri poſſit, delere, non modo neceſſarium eſt, ſed etiam publicæ ſaluti proficuum. — Accidit autem, neſcio quo acerbo & illætabili fato, ut litterarum ludi ſatis bene compoſiti, nec tamen omnibus numeris abſoluti, (quoniam nulla facile ſchola ad eum perfectionis gradum adſpirare poteſt, ut ampliori progreſſui non ſit locus,) accidit igitur, ut hi quoque ludi male interdum audiant & vilipendantur. Quod unde oriatur, diſquiram deinde. Iam vero id attingere placet, quod non eſt prætereundum. Utuntur enim ſcholæ quædam fama tam proſpera atque illuſtri, ut omnium fere ſermonibus celebrentur, plurimosque habeant virtutum ſuarum præcones. Quæ quidem celebritas ſi integra eſt, nec a partium ſtudio aut nimia bene iudicantium benevolentia proficiſcitur, non modo grata eſſe debet omnibus, ſed etiam invideri a nemine poteſt, niſi ab eo, qui aliorum felicitate cruciatur,

quodque aliena capella gerat diſtentius vber,
tabeſcit. *)

Quid

*) Horatius Serm. lib. 1. Sat. 1. v. 110.

Quid enim iuventuti, quid patriæ, quid toti generi humano ſalutarius excogitari poteſt, quam ſcholæ optime conſtitutæ, quæ in omnia ſtudiorum genera, in omnes vitæ ordines admirabiles plane diffundunt utilitates? Cum vero eos adeo litterarum ludos extolli audio, qui tantum abeſt, ut laudari poſſint, ut potius a vitiis, quibus ſcatent, liberari debeant; tum certe videre mihi videor, quam incerta ſit & fallax ſcholarum fama. Neque hoc magnopere mirum. Cogitanti enim, qui fiat, ut litterarum ludi nunc laudibus in coelum usque efferantur, nunc obtrectationibus in terram deprimantur, plurimæ ſuccurrunt cauſſæ, quæ amplißimum mihi aperiunt campum, in quo excurrere, ubi exultare, & dicendi facultatem, ſi quam haberem, oſtendere poſſem. Dicam tamen de pretio, quod ſcholarum famæ ſtatui debet, brevißime, ſed ita ut vera iis dixiſſe videar, qui recte de his rebus iudicare ſciunt.

Primum igitur mihi perſuaſi, eſſe homines quosdam rumigerulos & otio abundantes, qui ſicut in alieniſſima quæque libenter involant, ſic etiam in ſcholas impetum faciunt, ut habeant ſemper, quo ſuas aliorumque aures exſatiare poſſint. Ac licet lepidi hi homines cœca plerumque pectora & tenebricoſas mentes habeant, multum tamen ſibi ſapere videntur, &, ſi negare, quod affirmant, auſus fueris, vel criſtas tollunt & ſenten-

tiam ſuam mordicus tenent, vel Iovem lapidem iurant, teque, ut fidem ipſis adiungas, compellunt. Quare idem de his dici poteſt, quod ſenex ille Plautinus de ſcurris ait:*)

Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quicquam ſciunt.
Quod quisque in animo habet, aut habiturus eſt, ſciunt.
Sciunt id, quod in aurem rex reginæ dixerit.
Sciunt, quod Iuno fabulata eſt cum Ioue.
Quæ neque futura, neque facta ſunt, tamen illi ſciunt.
Falſon' an vero laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt; dum illud, quod lubeat, ſciant.

Hoc itaque mortalium genus ſi de ſcholis, quarum indoleni cum ignariſſimo quoque ſciunt, iudicare audis: ni parum abeſt, quin Apollinem de tripode dicentem audias. Tanta eorum eſt confidentia! tanta temeritas! qua vel ignorantiam tegunt, vel auctoritatem ſibi conciliare ſtudent. Quo etiam fit, ut aliorum credulitate, quæ in optimi cuiusque mentem facillime irrepit, abutantur, & vel bonam vel malam ſcholarum famam diſſeminent, cui eo plures fidem adiungunt, cum ſciamus, homines, ut aut contemnant, aut oderint, aut ament, opinione non minus ſaepe, quam certa aliqua ratione commoveri.

"At, dixerit quispiam, quid tandem omnibus "his effeciſſe putas? Videsne quantillum ſermoni "tuo inſit roboris & firmamenti? Aut num fieri "poſſe

*) Plautus Trinum. Act. I. ſc. 2. v. 168. ſeqq.

"posse credis, ut nunc demum omnem scholarum "famam tecum inanem & lubricam iudicemus, "quia a circumforeanis hominibus interdum disse- "minatur? O plumbeum pugionem tuum! O ieiu- "nam argumentandi rationem!„ — Sed bona verba, quæso. Neque enim omnem scholarum famam extenuare aut in suspicionem adducere volo; neque, si vellem, multa eaque gravissima deforent argumenta, sententiæ meæ egregie inservitura. Hæc vero dum exponere animus est, manum mihi iniicere, meque admonere videtur illa ipsa res, quæ scribendi occasionem dedit. Quamobrem impetrare a me non possum, ut, quæ adhuc dicenda erant, fusius exponam. Differam igitur in aliud tempus, &, quod reliquum est spatii, iis tribuam sollemnibus, quibus significandis pagellas has destinatas esse volui.

Prolusio II.

Cum nuperrime de pretio, quod ſcholarum famæ ſtatuendum videtur, diſputarem, oculis ſtatim obverſabantur homines quidam, (malevoli dicam, an potius ſtolidi?) qui in diiudicandis litterarum ludis paullo arrogantiores ſunt, omnemque ſcholarum famam ad arbitrium ſuum revocare audent. Equidem conſultius fuerat, hos homines ſuæ vel invidiæ vel ſtoliditati relinquere, nec ad iram provocare, ad quam, quo quis ſtolidior eſt, eo facilius accenditur. Sed facere non potui, quin illis ſententiam voluntatemque declararem meam. Eſt enim magnus eorum numerus, & maior forſan, quam crederes, qui ſcholas vituperant, & vel methodum, quæ in tradendis litterarum ſtudiis adhibetur, ferre nequeunt, vel diſciplinam inſectantur, vel præceptoribus adeo turpitudinis maculam adſpergere non dubitant. Quod cum faciunt, fieri non poteſt, quin ſcholas in contemtum adducant, qui quanti æſtimandus ſit, nemo non intelligit.

Neo opus eſt, multis docere, malam ſcholarum famam ſæpenumero a iuvenibus ipſis oriri, quorum alii diſciplinam, qua coërcendi ſunt, recuſant, alii turpiſſimo vitiorum amore flagrant.

Nam

Nam ut de illis pauca dicam, qui aut nullam aut certe languidam mollemque disciplinam cupiunt: quid quæso faciunt plerique, cum legibus coerceri atque ad officium revocari debent? Irascuntur, disciplinæ asperitatem queruntur, præceptoribus suis succensent, & scholam deprimunt, quam, si dissolutos mores ferre potuisset, laudibus in altum elaturi erant. Quotus vero quisque est, qui ficta hæc crimina a feroci iuvene disseminata vel tantilli æstimanda iudicet? Quare etiam eo magis mirari lubet, qui fiat, ut viri non indocti, quique de aliis rebus probabiliter sentiunt, mordaces iuvenum quorundam susurros avide interdum amplectantur.

Quid vero de ea dicam vituperatione, in quam adduci solent scholæ, si in magna iuvenum turba deprehenduntur, qui inconsiderate negligenterque omnia agunt, atque adeo discussis verecundiæ repagulis in vitia ruunt? Durum est, fateor, eiusmodi uti iuvenibus, qui neque obiurgatione neque minis coërceri possunt, atque ad plagas, ut pessima quæque mancipia, obdurescunt. Nam, ut TERENTIUS ait, *non fit sine periculo facinus magnum & memorabile*; atque verendum omnino est, ne, quæ ab uno homine nequam patrantur scelera, latius serpant & in alios quoque iuvenes transeant. At enim vero quis unquam tam a vero alienus fuit, ut unius perditi iuvenis culpam toti

scholæ

ſcholæ tribueret? Aut quem tam aſperum atque immitem finxit natura, ut præceptores adeo inertiæ deſidiæque condemnet, ſi iuvenes habent peſſimæ indolis & deſperatæ ſalutis? Quid enim? Num fieri poſſe credis, ut in magno iuvenum numero non reperiantur petulantes quidam atque procaces, cum in viris adeo ſenibusque haud pauci ſint, qui leges perfringant, vitiis ſe contaminent, atque omnem humanitatis ſenſum exuiſſe videantur? Putasne ullam unquam fuiſſe ſocietatem, quæ non ſuos habuerit vermes, hominesque plenos inficetiarum? Quæ cum ita ſint, non video, quid tandem ignominiæ ex unius iuvenis protervitate redundare poſſit in ſcholam, dummodo ea ſit ſcholæ indoles, ut puerorum vitia impunitatis ſpe non alantur, ſed, quanta fieri poteſt, ſeveritate coërceantur.

Atque de iis, quæ litterarum ludos in *malam* eamque *inanem famam* adducere poſſunt, ſatis multa mihi verba feciſſe videor. Ea vero, quæ turpitudinis notam ſcholis inurere *veramque ignominiam* ipſis conciliare poſſunt, nunc fuſius exponere nihil attinet. Sunt enim vel omnibus nota, vel certe non ad famam pertinent, quippe quæ non vero rectoque hominum iudicio, ſed opinione abſolvitur. Quare id mihi nunc datum exiſtimo, ut de iis, quæ *bonam* illuſtremque *ſcholarum famam* diſſeminare ſolent, paullo liberius dicam.

Scilicet

Scilicet cum tanta sit rerum multitudo, quæ specie satis iucunda oculos præstringunt mentesque insidiose decipiunt, mirum non est, scholas quoque his ipsis rebus nonnunquam reddi posse commendatiores. Quod si quid aliud, certe *novitas rei* efficere solet. Ea enim mortalium est indoles, ut, quæ novitatis gratiam habent, avidissime arripiant. Ea est plurimorum inconstantia, ut optima quæque, si quotidiana sunt, vilescant, & nunc superciliose contemnantur, quæ alias placuere, nunc avide expetantur, quæ olim exosa fuerunt. Itaque multos videmus, qui quidquid antiquitatem redolet, procul facessere iubent; nova autem & adhuc inaudita exosculantur. Quod quam absonum sit nec raro pernicioſum, prudens quisque intelligit. Licet enim ea, quæ a maioribus accepimus, vitio interdum laborent, tum maxime, cum recentioris seculi genio non sunt accommodata; nunquam tamen eo nos abducere debet novitatis amor, ut, quod nuper factum vel scriptum non est, suffragio nostro, ne dicam, laude indignum existimemus. Namque *tot præceptoribus, tot exemplis nos instruxit antiquitas, ut possit videri nulla sorte nascendi ætas felicior, quam nostra, cui docendæ priores elaborarunt.* *) Quare in-

gratı

*) QUINTILIANUS Institut. Orat. l. XII. c. 11, adde AYRERI Diss. de comparatione eruditionis antiquæ & recentioris sect. 4. §. 1.

grati animi notam vix effugere possunt, qui, quæcunque a veteribus ad nos transmissa sunt, rident & naſu adunco ſuſpendunt.

Scilicet est durum, veteres contemnere, durum
Præferre omnino tempora prisca novis.

Sed redeamus e diverticulo in viam, & quantum momenti ad disseminandam bonam scholarum famam habeat novitas, disquiramus. Est vero alia novitas *scholæ*, alia *præceptorum*, alia denique *methodi*. Quam postremo loco nominavi, brevissime nunc attingam. Quod vero dum facere animus est, temperare mihi non possum, quin *scholarum*, quas vocant, *realium* mentionem iniiciam. Magnam illarum esse famam, magnamque iis deberi laudem, cum omnes concedunt, tum ego maxime largior, ne, quæ dicturus sum, invidiosius quam verius dicta videantur. At enimvero quid est, quod realibus scholis tantam conciliavit celebritatem? Movit certe novitas rei haud paucos, ut maximis laudibus eas ornarent amplificarentque. Quid impedit enim, quo minus idem de scholis dicamus, quod alia de re HOMERUS canit: *)

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ ἄνθρωποι,
Ἥ τις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

i. e. *Eam enim cantilenam magis celebrant homines, quæcunque audientibus recentissima est.* Ne vero

*) Odyss. l. 351.

vero novitati nimium tribuere videar, addam id, quod est verosimilius. Utuntur scilicet scholæ reales ea in formandis iuvenum animis methodo, quæ, licet suavitatis multum habeat, tamen a more maiorum recedit. Non enim linguæ solum ac disciplinæ & quæ ad elegantiorem litteraturam pertinent, traduntur, sed artes etiam illiberales exponuntur, ne sellulariis quidem exceptis, *quæ manu constant & ad instruendam vitam occupatæ sunt.**) Equidem non tam obtusus sum rerumque ignarus, ut nesciam, quo potissimum consilio hæ artes tractari soleant. Scilicet ut vel ad omnia vitæ genera præparentur iuvenes, vel habeant certe, quo & sibi & aliis consulere aliquando possint. Hoc vero tantum abest, ut vituperem, ut laudare potius debeam. At inquies: Itane facilis & expedita est ad eruditionem via, ut per tot etiam artes, per tot inventa duci queant iuvenes? Verendumne est, ne pueri iis inhæreant, (inhærent autem libentissime), quæ vel varietate animum oblectant, vel suavitate alliciunt? a gravioribus autem studiis avocentur atque adeo superficiariam quidem, non vero profundam exquisitamque eruditionem acquirant? Ita sane est; ac nuper adeo legere me memini, quinquaqinta annis peractis barbariem irrupturam esse, si latius dissemi-nentur *scholæ reales*. Quod quidem προγυμνασικὸν licet

*) Sunt verba Senecae epist. 88. p. m. 567.

licet a vero alienum esse videatur, haud obscure tamen significat, illustrem scholarum realium famam a nonullis indigne ferri, maxime ob methodum, de qua idem fere dici possit, quod de alia methodo dicit Baco,*) "quæ scientiæ alicuius "guttulas ita aspergit, ut quis sciolus specie non- "nulla eruditionis ad ostentationem possit abuti."**)

Restat, ut de *discentium frequentia*, quæ bonam scholarum famam disseminat, dissem inatam vero confirmat, breviter dicam. Hoc autem dum facere aggredior, in mentem veniunt aurea illa Senecae verba, quæ non incommode ad scholas transferri posse videntur. "Magno, inquit ille, "magno impendio temporum, magna alienarum "aurium molestiâ, laudatio hæc constat: *O homi-* "*nem litteratum!* Simus hoc titulo rusticiore con- "tenti: *O virum bonum!*„***) Et ego, magnâ, arbitror, alienarum aurium molestiâ, magno periculo, laudationem hanc constare: *O scholam frequentem!* Simus hoc titulo securiore contenti: *O scholam bonam!* — Neque tamen hæc eo valent, ac si scholas magnas prorsus fugiendas esse existimem,

*) Baco de Verulamio in præstantissimo *de augmentis scientiarum* libro p. 294.

**) Scholarum, quæ vocantur, realium utilitatem nuperrime fusius exposuit Cl. Harlesius in libro, qui inscribitur: *Gedanken von den Realschulen.* Bremen 1766.

***) Seneca epist. 88.

mem, aut iis assentiar, qui contendunt, utilius esse, domi atque intra privatos parietes studentem continere, quam frequentiæ scholarum & velut publicis præceptoribus tradere.*) Sed eo inclinat sententia, illustrem scholarum famam, quæ ex magno discipulorum numero oritur, non periculosam modo, sed etiam incertam haud raro esse atque ancipitem. Quod tum maxime accidere solet, cum iuvenum haud pauci vel publico sumtu aluntur, vel civium liberalitate sustentantur, vel ei inhiant pecuniæ, quæ redire solet e choro muscq, qui utinam iisdem ubique circumscriberetur limitibus, quibus apud Berolinenses nuper circumscriptum fuisse scimus.

Atque hæc quidem *de pretio, quod scholarum famæ statui debet*, disputare iubuit. Sequitur, ut doceam, *num scholarum famæ inservire liceat, ac, si licet, quanta illius esse debeat cura.* Erat enim hæc altera disputationis pars. Video autem, me in tanta occupationum, quibus nunc distineor, multitudine, atque in tanta temporis penuria consultius facturum, si, quæ de famæ studio scholis non negligendo dici poterant, alio tempore explicanda sumam.

*) Opinionem hanc, quæ eminentissimis adeo auctoribus placuit, egregie refellit QUINCTILIANUS Instit. Orator. l. 1. c. 2.

Prolusio III.

Fidem, quam ante hos ſex menſes dedi, liberaturus, in eo nunc elaborabo, ut, *num ludorum litterariorum famæ inſerviendum ſit*, examinem, & *quibus tandem limitibus hoc famæ ſtudium circumſcribi debeat*, oſtendam. Dum vero priorem illam diſquiſitionis partem mecum perpendo, plerosque futuros video, qui me anxium nimisque diligentem, & nodum in ſcirpo quaerere putent. Quis enim, inquient, quis unquam tam a vero alienus rerumque omnium ignarus fuit, ut laudem famamque ſummopere appetendam negaret? Adeone peruerſum quemquam & maleſanum exiſtimas, ut famam, cuius ſtudio omnes trahimur, repudiandam cenſeat? — Equidem non ignoro, tantam eſſe laudis vim, ut nullum facile pectus tam ferreum ſit, quin dulcedine illius permulceatur: neque hoc me latet, plerosque tam immodico & flagranti laudis ſtudio ferri, ut ad aucupandam nominis famam non duci, ſed trahi, non moveri, ſed abripi & ſubditis quaſi calcaribus impelli videantur. Hæc vero utcunque comparata ſint; habeo tamen, quibus defendere id poſſim,

quod

quod dicere aggressus sum. Non enim de gloria, quæ indivulsa virtutis comes est, loquor; neque etiam disquiro, num appeti hæc a scholis debeat, nec ne? sed de fama & existimatione sermo est, quam sapientissimi adeo homines interdum spernere solent. Q. Fabium Cunctatorem scimus, in spernenda fama tam constantem fuisse, ut, cum Hannibalem infestis signis aggredi nollet, ideoque a nonnullis *Hannibalis pædagogus* per ludibrium vocaretur, tamen hoc convicio atque siniſtra fama nihil commotus, institutum suum sequi pergeret, dicens: *Insitam ingenio meo cunctationem, metum pigritiamque homines adolescentes sane appellent, dum ne poniteat, adhuc aliorum speciosiora primo adspectu consilia semper visa esse, mea usu meliora.**) Quibus commode adiungi possunt, quæ idem Fabius in oratione ad Aemilium Cos. dicit: *Resistes Hannibali, adversus famam rumoresque hominum si satis firmus steteris; si te neque collegæ vana gloria, neque tua falsa infamia moverit. Veritatem laborare nimis sæpe, aiunt, exstingui nunquam. — Sine, timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocent. Malo, te sapiens hostis metuat, quam stulti cives laudent.***) Nihil dico de Stoicis, quos existimationem nominis inter ἀδιάφορα habuisse, nemo

*) Livius lib. XXVIII, cap. 40.

**) Livius lib. XXII, cap. 39.

ignorat;*) satis enim demonstrasse mihi videor, haud paucos tam firmi tamque constantis animi fuisse, ut bonam adeo famam negligerent, certe non avide consectarentur. Neque tamen ille ego sum, qui famæ curam, quam Deus mortalium animis alte infixit, evellendam iudicem, cum facile intelligam, sublata hac cura, omnem tolli ad res præclaras stimulum & a malis avocamentum. Quare optime CICERO: **) *Negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti*, cum contra hominis ingenui & liberaliter educati sit, velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris.

Quæ omnia haud obscure significant, quid de fama scholis comparanda censendum videatur. Recte nimirum sentiunt, qui scholarum existimationem non turpiter negligendam, neque tamen avidissime consectandam arbitrantur: idque non unam ob causam. Namque, quorum omnis labor omneque studium in eo positum est, ut scholæ suæ famam concilient aliorumque laudes quocunque modo

*) Conf. BRUCKERI Hist. critica Philosophiæ Tom. I. p. 955. seq. Stoicorum hanc sententiam suam fecit CICERO, cuius hæc verba sunt: *De bona fama Chrysippus quidem & Diogenes, detracta utilitate, ne digitum quidem eius causa porrigendum esse dicebant, quibus ego vehementer assentior.* de finibus bonorum & malorum lib. III. c. 17.

**) *De officiis* lib. I. c. 28.

modo sibi vindicent, in eo *primum* peccare videntur, quod rem inanem plerumque & evanidam nimio ardore appetunt. Quid enim? Nonne ii, quorum iudiciis & sermonibus fama constat, homines plerumque imperiti sunt, quibus carta est ingenii suppellex, quique paullo obtusiores sunt, quam ut scholarum vel praestantiam vel ignominiam rite diiudicare possint? Quo etiam fit, ut eiusmodi homines pro affectuum, quibus agitantur, varietate nimium quantum a vero deflectent, existimentque quidquid volunt. Quid laetaris itaque, eorum laudibus extolli, quos non potes ipse laudare? Quid est, quod amorem imperiti atque instabilis vulgi tantopere optas,

qui honores
Sæpe dat indignis & famæ servit ineptus,
Qui stupet in titulis & imaginibus.

Deinde nimium famæ studium scholis cavendum videtur, quoniam magna nominis celebritas esse solet periculosa. Quod enim de *Agricolæ* temporibus affirmat TACITUS, *) *sinistram* ea ætate *erga eminentes fuisse interpretationem, nec minus periculum ex magna fama, quam ex mala*, id de iis quoque dici potest, qui excelsam famam vehementius quam cautius appetunt. Scilicet duo sunt bonæ famæ obices, ignoratio recti & invidia. Haec vero invidia, hic animorum livor comes est existimationis, ita, ut non eos solum, qui suis meritis

*) In vita Agricolæ. c. 5.

inclaruerunt, verum etiam eos, qui fortunæ quodam beneficio & ſecundante populari rumoris aura ad nominis celebritatem ſubvehuntur, invidiæ incendio nonunquam conflagrare videamus. Quod niſi certiſſimum eſſet & quotidiana adeo experientia comprobatum, vel Athenienſium exemplo evinci poſſet, qui, quos populi favore, virtutis fama & civili aliqua poteſtate eminere præ ceteris videbant, per decennium urbe eiiciebant *Oſtraciſmo.**) De Epheſiis idem teſtatur CICERO; **) hi enim, *cum civitate expellerent Hermodorum, ita locuti ſunt: Nemo de nobis unus excellat; ſin quis exſtiterit, alio in loco & apud alios ſit.* An hoc non fit omni in populo? Nonne omnem exſuperantiam virtutis oderunt? Nonne commendatio in vulgus plus ſæpe moleſtiæ habet, quam utili-

*) CAROLUS SIGONIUS de republ. Athenienſium lib. c. 2. 4. p. m. 505 ſeq. PLUTARCHUS in vita Alcibiadis, Niciæ, Ariſtidis & aliorum. De Ariſtide, qui, quod præter modum iuſtus eſſet, patria egredi iubebatur, hæc fere narrant PLUTARCHUS & CORNELIUS NEPOS in vita Ariſt. c. 1. "Cum "comitia oſtraciſmo eſſent indicta, quidam agreſtis "homo ac litterarum ignarus in forum properans, "in Ariſtidem, qui *Iuſtus* appellabatur, incidit, "eumque teſtula oblata, ut Ariſtides nomen "inſcriberet, rogavit. Miratus Ariſtides, cum "quæſiſſet, numquid ab Ariſtide mali accepiſſet: *minime vero*; inquit ille, *imo hominem* "*ne novi quidem, ſed vulgatum iſtud Iuſti cogno-* "*men æquo animo ferre non poſſum.*

**) Quæſtion. Tuſculan. lib. V. c. 36.

utilitatis? tum maxime, cum popularem auram & inanes imperitorum laudes captamus, atque adeo leviculum illum, ut CICERO ait, *) Demosthenem imitamur, qui delectari se dicebat, susurro mulierculæ aquam ferentis insusurrantisque alteri: *Hic est ille Demosthenes.*

Denique in disseminanda scholarum fama modum excedere prohibemur, quia infirmior est laus, quæ summo studio & repente paratur, quam quæ vires a tempore capit &

crescit occulto velut arbor aeuo.

Quod etiam mirum videri nequit. Namque ea est plerorumque hominum indoles, ut, quæ cito placent, facile rursus displiceant & vilipendantur. Illustre huius rei documentum habemus in iis scholis, quarum laudes decantatas omniumque sermonibus celebratas mox excepit contemtus aut parum honorifica apud eos mentio, qui veram rectamque laudem ab inanibus rudis popelli sermunculis discernere possunt. Neque vero scholarum modo, sed & aliarum rerum, quin imo eruditorum ea est sors, ut, quo citius inclarescunt, eo citius in contemtum abeant. Quod ne recentioribus facileque obuiis exemplis comprobem, unicum illud *Haterii*, magni sua ætate oratoris, exemplum proferre lubet. *Haterius* itaque, celebratæ, quoad vixit, eloquentiæ erat, monimenta vero ingenii

*) Quæst. Tusc. l. V. cap. 36.

eius haud perinde æstimabantur. Scilicet impetu & extemporali perorandi promtitudine magis, quam curâ vigebat. Utque aliorum meditatio & labor in posterum valescit; sic *Haterii* canorum illud & profluens dicendi genus, cum ipso simul extinctum est. *) Quid vero lucidius hinc appareat, quam quod fama repentina & tumultuaria facile evanescat, nec ad posteros transmittatur, quorum verius est iudicium, & obtrectatione ac malevolentia liberatum?

Aut omnia me fallunt, aut argumentis in medium prolatis id effeciſſe mihi videor, ut intelligatur, invigilandum quidem esse scholarum famæ, ita tamen, ut existimationis diffusæ fitis restinguatur, nec inanis illa, ac, pene dixerim, lepida anquiratur felicitas, quæ ex linguis imperitorum pendet. Restat, ut *de finibus, qui scholarum famæ constitui debent*, dicam breviſſime. Hac autem in re perficienda optime versaturum me arbitor, si prius eorum errorem significavero, qui in promovenda scholarum fama paullo remiſſiores

sunt

*) Tacitus Annal. lib. IV. c. 61.

sunt & in defectu peccant. Qui error, unde originem trahat, non ignoro. Alios enim *formido* impedit, quo minus in regenda iuventute tradendisque bonarum artium studiis ea audeant, quæ, licet scholis salutaria sint, tamen difficilia sunt & periculosa, quoniam aliorum invidiam provocant. Alios *ignavia* & turpis laborum fuga adeo corrumpit, ut, quæcunque iuvenum salutem egregie promovere poterant, aut oscitanter agant, aut penitus detrectent &, si a quotidianis laboribus discesseris, ne unicam quidem horulam iuvenibus tribuant; superbiâ vero, ad quam hoc hominum genus proclive est, tumescant, omnemque scholam suis humeris sustentare sibi videantur. Alii denique eo *arrogantiæ* procedunt, ut discere a peritis, sequi optimos & imitari prudentiores nolint, sed suo abundent ingenio &, quæ avis ataviscque ignota fuere, ea derideant & superciliose contemnant. Hi vero omnes, dici vix potest, quantopere scholarum famam imminuant, & turpitudinis notam ei inurant. Sed sunt etiam alii, qui omnem modum excedunt & in augenda scholarum

existimatione mirum quantum elaborant. Quod ut assequantur, media adhibent vel ieiuna vel iuvenum saluti parum accommodata. Videmus itaque multos scholarum moderatores, qui *vel* eas disciplinas tradunt, quibus pernoscendis iuvenes adhuc impares sunt; *vel* quoties tempus examinis habendi instat, toties iuvenes suos sic instruunt, sic omnia calamis excipere iubent, ut mirum non sit, si ad singulas quæstiones dexterrime respondeant, & auditores, tantæ fraudis ignaros, in sui admirationem rapiant; *vel* græcis hebræisque orationibus publice recitandis aliorum laudes suffurantur; *vel* iis studiis, quibus iuvenes vehementer delectari solent, velut arti saltandi, pingendi, vitrorum poliendorum machinarumque construendarum nimis tribuunt; *vel* etiam, quæ *Basedowii* est sententia, *) iuvenes, claro sanguine ortos cæterisque ditiores, signo quodam pretiosiori & ad stellæ formam effecto ornant, quo id consecuturos se opinantur, ut parentes tantum puero-

*) In libro nuperrime edito, cui titulus est: *Vorstellung an Menschenfreunde und vermögende Männer über Schulen, Studien &c. Hamburg* 1768.

puerorum ſuorum decus magna redimant pecunia. Longiſſimus ſim, ſi enumerare omnia vellem. Innumeræ enim ſunt artes, ridicula media, quibus ii uti ſolent, qui ſcholarum ſuarum famam cauponantur. Neque tamen id ſilentio præterire poſſum, quod, qui in diſſeminanda ſcholarum fama modum ſervare neſciunt, omnia ad oſtentationem, ad faſtum, ad inanem gloriam referant, nec tales ſint, quales videri cupiunt. Hoc vero qui admittunt, nonne turbulento ducuntur errore? nonne illuſtrem ſcholarum famam ſalutemque impediunt magis, quam promovent? Via enim ad veram gloriam certior tutiorque nulla eſt, quam ut quis bonus ſit, videri nolit, adeoque Ariſtidem illum imitetur, οὐ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι ἠθέλησε.

Sed quoniam ſatis multa dixi, nunc tandem perorandum mihi eſt, & quo conſilio hæ pagellæ conſcriptæ ſint, paucis ſignificandum. Cum nimirum ſolemnis illa appropinquet luſtratio, qua ſingularum claſſium profectus per triduum examinabuntur: mearum eſſe partium exiſtimavi,

ut

ut elegantiorum litterarum fautores ad ſollemnia hæc nobiscum celebranda, convocarem. Agite igitur, quotquot manſuetioribus muſis delectamini, nec ea ſtudia contemnitis, quæ humanitatis nomine ornavit antiquitas, agite, frequentes confluite & honorifica veſtra præſentia declarate, quam bene, cum omnibus, tum iis præſertim cupiatis iuvenibus, qui magnum in addiſcendis litteris ſtudium, maiorem in excolenda virtute induſtriam ponunt. Patent auditoria, patent etiam pectora, magnopere, ſi ad nos acceſſeritis, gaviſura.

DE

DE

RATIONE SCRIBENDI

HISTORIAM SCHOLARUM,

PROGRAMMA.

DE

HISTORIA SCRIBENDI

HISTORIAM SCHOLARUM.

LIBELLUS.

Quem boni omnes adhuc lugent, I. E. GOLDHAGENIUM, ſcholæ cathedralis, quæ Magdeburgi floret, quondam Rectorem, non nominis ſolum celebritate, quæ interdum vana eſt, ſed meritorum magnitudine, eruditionis gloria, pectoris candore, pietateque conſpicuum, hunc igitur virum ita mihi, dum hæc ſcribere adgredior, ob animum oculosque pono, ut deſiderio tam chari capitis ferendo vix parem me ſentiam, utque vulnus ex morte illius nuper acceptum recrudeſcat. Conſtituerat enim GOLDHAGENIUS, ſcribere hiſtoriam ſcholarum, ad quam quidem adornandam ille præ ceteris omnibus aptus videbatur; ſed turbavit viri conſilium, ſpemque noſtram fefellit mors, quæ quam ſit rebus humanis inimica, & iucundiſſima quæque facillime eripiat, ipſe ego nuper experтus ſum, facta amantiſſimæ coniugis iactura, cuius ex obitu animus adhuc ſaucius eſt, & oculi madent. Verum hoc meum eſt damnum & domeſtica calamitas, qua nunc excrucior miſer. Maius quid in GOLDHAGENIO amiſit res ſcholaſtica, omninoque literaria. Huic enim ſi diutius vivere contigiſſet: ſpem ſane haberemus lætiſſimam, fore,

uc

ut tandem aliquando prodeat hiſtoria ſcholarum talis, qualem nemo omnium, quotquot ſunt & fuerunt, eruditorum conſcripſit unquam. Quod qua fati iniquitate factum dicam, non ſatis intelligo. Equidem ingens extat librorum copia, quibus ſcholarum cum veterum, tum recentiorum fata deſcribuntur. Quis enim, ut hoc utar, Græcorum ſcholas a MEURSIO, CONRINGIO, SPANHEMIO, SCHMIDIO, PFEIFERO, BRUCKERO, aliisque bene multis deſcriptas neſcit? Neque tamen egregii illi ſcriptores eam exhibuerunt hiſtoriam, cuius nunc exſpectatio optimum quemque tenet.

Scilicet ex quo hiſtoria litteraria in meliorem redacta eſt formam, nec ſolum eruditorum vel vitis deſcribendis, vel libris recenſendis operam dat, ſed in ipſis artium diſciplinarumque viciſſitudinibus exponendis, cauſſis, ex quibus illæ pendent, in lucem proferendis, ingenii denique humani fatis per ſecula deducendis verſatur; non amplius ſitim reſtinguere poſſunt rivuli iſti, quibus hæc velut prata irrigarunt, quotquot ſcholarum hucusque perſecuti ſunt hiſtoriam. Equidem hauriri inde ſatis multa poſſunt, quæ, tantum abeſt, ut contemnenda ducam, ut potius ad id, quod nunc quærimus, per videantur neceſſaria. Namque enumerare varias variarum gentium ſcholas, ortum illarum explorare, incrementa oſtendere, docto-

doctorum, quos olim habuerunt, vitam, mores, præcepta, inque rem literariam merita enarrare: hæc vero omnia ſic ſe habent, ut quaſi ſint ſemina, ex quibus lætiſſima efflorescere poſſit ſeges. Nulla nimirum ſine rebus geſtis eſt hiſtoria. Neque tamen ſufficit, ea, quæ in ſcholis acciderunt unquam, tradere, & acta modo eventusque exponere; ſed excutiendæ ſunt rerum ipſarum cauſſæ, & aperienda conſilia, quibus res ſcholaſtica vel vehementer aucta fuit, vel in contemtum rurſus adducta, planeque oppreſſa. Hoc igitur qui agunt, in hôc qui commorantur, habitant, hærent, ii demum de hiſtoria ſcholarum optime merentur.

Quare ſic animum induco meum, quidquid in hoc campo, qui ſatis late patet, continetur, quidquid adhuc incultum iacet, nec cuiusquam vel ingenio, vel diligentia elaboratum eſt, id omne ad duo referri poſſe capita. Quorum hoc eſt *primum*, ut ingeniorum formandorum, litterarumque tradendarum ratio, quovis tempore obſervata, diligenter deſcribatur. Grave omnino munus! ad quod rite perficiendum vis acerrimi ingenii, non longam ſolum rerum geſtarum ſeriem, ſed & conſecutiones illarum ordinemque perſpicientis, requiritur. Veruntamen quantum auguror conjecturâ, quantaque ingenia in noſtris hominibus eſſe video, non deſpero, fore aliquem aliquando,

qui ſummo ſtudio, & labore atque induſtria indefeſſa, cum ſe ad hiſtoriam ſcholarum ſcribendam dederit, μεθοδολογίαν quoque perſequatur.

Eſt autem id, quod quærimus, ex eo genere, ut fieri omnino poſſit. Habet enim quodvis ſeculum ſuum quendam genium, ac literarum ſtudiorumque nunc efflorescentium, nunc ſeneſcentium, periodos quasdam & converſiones. Quarum quæ ſint cauſæ & quaſi ſcaturigines, diſquirere iam nihil attinet, cum ſint permultæ atque adeo in vulgus notæ. Id vero prætermitti a me non poteſt, ali genium illum imitatione maxime, quæ in omni hominum vita, atque adeo in virtutibus ac vitiis regnat. Ad quam cum ſæpiſſime accedat ſtudium novitatis, inconſtans illud & deſultorium: facile intelligitur, ſæpius mutari genium ſeculi, & novos ſubinde mores, nova ſtudia in litterarum republica oriri. Expertæ ſunt hanc ſeculi vim omnes artes ac diſciplinæ, quotquot eruditionis ambitu continentur. Iam cum ſcholarum ea ſit indoles, ut doctrinæ virtutisque ſint ſeminaria, utque iuvenes ea perdiſcant, quæ in lucem adſpectumque cum laude aliquando proferre poſſint: certe indulgendum eſt iſti ſeculi genio, ſed ita, ut, quoniam peſſima quæque interdum ſuadet, reique literariæ eſt inimicus, finibus ſuis diligenter contineatur. Itaque fieri non poteſt, quin aliæ atque aliæ artes in ſcholis tradantur, earumque tradendarum

darum diverſa ſit diverſis temporibus ratio. Quod qui admittendum non cenſent, omnemque ſeculi genium e ſcholis exulare iubent, nimis mihi difficiles ac moroſi videntur, iisque adeo hominibus, ſimiles, qui morum a maioribus acceptorum ſtudioſiſſimi, ita omnem, qui nunc eſt, veſtitum corporisque cultum negligunt, ut vel immani capillamento velut nube caput involvant, vel veſtes longiſſimis manicis inſtructas & ad talos uſque defluentes induant, vel braccis, in quibus femora natant, ampliſſimis incedant, riſum ſine dubio excitaturi, aut ſtomachum moturi. Manet igitur illud, quod ante diximus, tenendum eſſe in ſcholis ſeculi genium, & publicum in re literaria morem. Quod cum fit, varia iuventutis formandæ ratio ac methodus naſcatur, neceſſe eſt.

Et adſunt omnino huius rei exempla plurima, ut non difficile ſit, ſeligere pauca, iis, quæ diximus, egregie inſervitura. Quis enim hoc neſcit, varie variis temporibus tractatam fuiſſe *linguam græcam*? Quoad longiſſime enim poſſum reſpicere ſpatium præteriti temporis, inde usque repetens, diverſiſſimam huius linguæ addiſcendæ rationem fuiſſe video. Nunc enim tanta diligentia excultum fuit hoc ſtudium, ut omne fere tempus huic præſertim linguæ concederetur, nec quisquam facile doctus putaretur, niſi græce dicendi facultate inſtructus, carminibusque græcis pangendis clarus.

Nunc paullulum defervescente hac, cupiditate dicam, an rabie? immutatum fuit, non emendatum græcæ linguæ studium, præceptoribus in eo maxime elaborantibus, ut iuvenes suos per immortales Græcorum libros, tanquam per amoenissimum campum, ducerent, sed exigua interdum emetirentur spatia, impedientibus id vocabulis, phrasibus, etymologiis, regulis, lectionibus variantibus, exercitiis denique græcis, quibus iuvenum utilitati parum consultum fuisse, eo confidentius affirmo, cum ERNESTIUM, virum plane incomparabilem, habeam auctorem. Nunc philologicam istam & criticam linguæ græcæ docendæ rationem excepit æsthetica, quæ in græcorum auctorum pulchritudine, elegantia, vi, splendore, maiestate denique declaranda versatur, atque hac nostra ætate, ex quo eloquentiæ & poetices studia diligentius exculta sunt, vehementer invaluit, animosque docentium ita occupavit, ut, ni finibus suis contineatur, timendum sit, ne in vanam abeat loquacitatem.

Dixi de lingua græca; nec defuturos puto, qui de *linguæ latinæ* tradendæ methodo varia idem dicendum, vel me non monente, intelligant. Namque obscurum esse nemini potest, alio tempore ad unius CICERONIS imitationem excitatos fuisse iuvenes, & meros Ciceronianos habuisse doctores, qui tum demum homines sibi esse viderentur,

rentur, si e purpura TULLIANA centonem contexere didicissent; alio, TACITI, &, qui hunc diligentissime imitatus est, Lipsii brevitatem pueris fuisse commendatam; alio, SCHOENSI. EDERI, MANUTII, DOLETI & SCHORI Phraseologias in scholis regnasse; alio, Chrestomathias, quarum nunc præsertim usus, fuisse adamatas; alio denique, latinæ poeseos studium, quod nunc maxime friget, occupatissimos habuisse iuvenes. Nihil dico de latinæ linguæ compendiis, nunc sermone latino, eoque vel ligato, vel pedestri, nunc idiomate germanico scriptis. Sciens quoque prætereo, quæ de methodo grammaticam scribendi gnomologica sive sententiosa, philosophica, tabellaria disputari hic possunt. Satis enim multa mihi dixisse videor, ut intelligatur, scholarum historiam scripturo amplissimum se offerre campum, in quo virtutem suam exercere, ingeniumque commonstrare possit.

Sed non eo usque omnia a me exhausta sunt, ut non afferri possint rerum dicendarum frequentia satis & illustria exempla. Nempe, quam nunc exspectamus scholarum historiam, non ad eos solum ludos, in quibus artes, quæ ad humanitatem ducunt, pueris traduntur, pertinere volo; sed ad Academias literarumque Universitates extendi cupio. Quæ quidem licet non sola sint & unica eruditionis sapientiæque domicilia; ita tamen in

diſciplinarum vel florem, vel contemtum influunt, earundemque fatis rurſus ſic impelluntur, ut, quæ de hac hiſtoriæ ſcholarum parte diſputes, habeas ſane multa, notatuque digniſſima. Itaque de diverſa, quæ in Academiis inde a multis retro ſeculis obtinuit, philoſophandi ratione, deque philoſophia nunc ſectaria, nunc eclectica, quæ recentiori ævo varias habuit periodos, a GROTIO, PUFENDORFIO, THOMASIO, LEIBNITIO, WOLFIO, BAUMGARTENIO, DARIESIO, FEDERO, CANTIO aliisque denominandas; de his igitur omnibus copioſe dici poſſe, quis non videt? Equidem non ſum neſcius, ex ipſis philoſophiæ annalibus hæc eſſe depromta, & videri quibusdam poſſe, velle me in alienam meſſem immittere falcem: ſed tamen eſt certum, quid reſpondeam. Diſciplinarum enim ſcholarumque hiſtoriæ tam arcto inter ſe, ac fere ſororio continentur vinculo, ut mutuo ſe invicem excipiant auxilio, & altera alteri lumen quaſi accendat: Quare quis me reprehendat, aut quis mihi iure ſuccenſeat, ſi, quantum hiſtoria litteraria adferre poteſt adiumenti, tantum inde deſumendum putem?

Verum neque ſic omnibus officii ſui partibus defunctus mihi videbitur eius, quam nunc quærimus, hiſtoriæ ſcriptor. Diſputabit ille, ſi me audire vult, de libris, ad quos vel legendos, vel vertendos, vel imitatione exprimendos, riteque expli-

explicandos, cuiusque ſeculi præceptores principes extitére auctoresque. Dicet quoque de linguis, artibus, diſciplinis, quibus ſenſim eruditi fuere iuvenes. Ubi non poterit non intelligere, quam varius diverſis temporibus fuerit ambitus ſtudiorum, quibus puerilis ætas impertiri ſolet. Scilicet olim, cum vel tot nondum inventæ eſſent artes, vel ea, quæ ad laudem hominis elegantis & venuſti unice valent, aut in ſpem futuræ oblivionis diſcuntur, eſcholis exularent, vel intra pauciores continerentur ſtudia litterarum, nec tam immenſi extarent exercitus hominum, eruditionis certe nomen profitentium, olim, inquam, paucioribus contenti eſſe iubebantur iuvenes, nec tanta, quanta hodie, diſcendorum copia obruebantur.

At quæret quiſpiam: quid? iſtane omnia, quæ tu propoſuiſti, vehementer utilia putas? — Ego vero ingenue confiteor, plurimas hinc exſurgere utilitates, quas qui non vident, non animadvertunt, næ illi turbulento ducuntur errore. Eſt enim magnum profecto huius hiſtoriæ beneficium, quod præclaram offert opportunitatem, literarum vel incrementa, vel decrementa, quatenus quidem a puerorum educatione pendent, penitius perſpiciendi. Neque negari ullo pacto poteſt, egregie hinc intelligi poſſe, qui fuerint ſeculi cuiusque mores, quæ ſtudia, quis guſtus. Hæc enim omnia, dici vix poteſt, quantopere ingeniorum formationem regant, & ab eadem regantur. Quare

si vides, uno alterove abhinc seculo ad auctores græcos latinosque, & ad utramque, qua illi usi sunt, linguam diligentissime colendam, relata fuisse omnia: mirarine poteris, qui factum sit, ut illa tempestate plerique eruditorum insigni quadam memoriæ vi magis, quam ingenii acumine conspicui fuerint, nec vitam præceptis publice privatimque utilibus instruxerint, sed hæc ipsa, quibus impalleſcebant, studia ad vanas sæpenumero subtilitates redegerint, & ex ampliſſimo campo in angustias & Grammaticorum dumeta compulerint? Si porro animadvertis, quam difficilis, quam ieiuna planeque inutilis fuerit linguæ latinæ tradendæ ratio tum, cum ALEXANDRI GALLI *Doctrinale*, aut *Vocabularius breviloquus cum arte diphtongandi, punctandi & accentuandi*, aliique eiusdem farinæ libri, quorum ipsi tituli barbarismis sunt insigniti, in scholis regnarent ita, ut iuvenes, ab ipsis puræ latinitatis fontibus remotissimi, delirantes illos miserequе balbutientes scriptores ediscere cogerentur: *) mirumne tibi videri potest, exti-

*) Hæc scribenti mihi, &, ut fieri solet, libellum aliquem evolventi, ecce! offertur egregius LUTHERI locus, quem facere non possum, quin adscribam, quoniam apprime huc facit: Ists doch auch nicht meine Meinung, daß man solche Schulen anrichte, wie sie bisher gewesen sind, da ein Knabe 20 oder 30 Jahr hat über dem Donat und Alexander gelernt, und dennoch nichts gelernt. Et paullo ante:

extitiſſe tum tot ignorantiæ monſtra, tot homines inſulſos, &, quod de monachis ſuæ ætatis dicit Erasmus, ab imis unguibus ad verticem ſummum ignavia ſtuporeque concretos? Denique ſi cogitas, philoſophiæ docendæ munus antiquiſſimis temporibus fuiſſe penes viros, artibus liberalibus politos, republica egregie adminiſtranda claros, cumque hominibus magnis & elegantibus viventes; diſcipulos vero illorum non iuvenes ſolum fuiſſe nobiles, & ad omnem humaniratem vel ingenio, vel educatione domeſtica, vel artium magiſtris eruditos, ſed etiam matura ætate viros & iam in republica verſantes: obſcurumne tibi eſſe poterit, cur vetus illa philoſophia tam fuerit popularis, ornata, elegans, copioſa, & felicitati, quam ſibi propoſitam habet, conſequendæ accommodata? Nonne, cum has philoſophiæ inter Græcos lætiſſime efflorescentis cauſſas perpendis, facillimo negotio colliges, non potuiſſe eam non triſti & acerbo fato uti, ex quo Scholaſticorum argutiis fuit depravata, inque ſcholarum tenebras relegata, ut popularitatem omnem amitteret, neque amplius vitæ eſſet moderatrix, ac magiſtra morum &

Und iſt jezt nicht mehr die Hölle oder das Fegfeuer unſrer Schulen, da wir innen gemartert ſind in den Caſualibus und Temporalibus, da wir doch nichts dann eitel nichts gelernt haben, durch ſo viel Stäupen, Zittern, Angſt und Jammer. O! miſerrimam ſcholarum faciem! O beatos iuvenes, quibus nunc expeditior patet ad eruditionem via!

disciplinæ? Possem adhuc commemorare multa, quæ me movent, ut eam, quam descripsi, historiam scholarum magnopere utilem putem: sed nolo longior esse in re tam perspicua, & tot exemplis certa.

Quoniam vero nihil adhuc dixi de *altero* illo negotio, ad quod attendere volo eum, qui historiam scholarum scribendam suscipit; restat, ut, quomodo illud perficiatur, dicam brevissime. Scilicet indaganda sunt, &, quam fieri potest, diligentissime colligenda earum, quas scholæ perpessæ sunt, conversionum argumenta & caussæ. In quo idem servandum videtur, quod de suo quodam in recensendis argumentis more dicit ANTONIUS, qui non numerare ea solebat, sed expendere.*) Non enim refert, quam multas adferas caussas, sed quam bonas, reique, de qua disseris, accommodatas. Quæ igitur exiles sunt & nugatoriæ, vel nimis late patentes, nec ex ipsis visceribus sumtæ, aberunt penitus & eiicientur; reliquæ omnes, sicuti sanguis in corporibus, sic per omnem historiam fusæ esse debebunt. Atque sunt horum argumentorum nonnulla satis quidem illustria atque perspicua; alia vero paullo abstrusiora, & interdum sic latentia, ut ad ea assequenda acri & intelligenti opus sit iudicio. Quare quo plura quis legit, audivit, meditatus est, atque tractavit, eo faci-

*) CICERO de Oratore lib. II. c. 75.

facilius rerum ipſarum, quæ ad hiſtoriam ſcholarum pertinent, fontes ſibi poterit aperire. Et intelliget ille etiam, quod omnis hiſtoria clamat, ex tenuibus initiis res ſæpe ortas eſſe graviſſimas. Verum hæc omnia ſatis iam nota ſunt & pervulgata, ut qualicunque mea oratione non indigeant. Itaque illuc redeamus, videamusque, quibus tandem cauſſis res ſcholaſtica nunc promota fuerit atque ornata, nunc impedita & tantum non oppreſſa. Sunt autem illæ tam variæ atque multiplices, ut difficilius ſit, orationis exitum, quam principium invenire. Alias enim offert hiſtoria tum civilis, tum eccleſiaſtica, easque vel ex imperiorum rerumque publicarum indole, vel gentis cuiusque moribus, vel religionis ſacrorumque conſtitutione derivandas. Aliæ iſti, de qua nunc loquimur, hiſtoriæ communes ſunt cum ingenii humani hiſtoria, quam cum nuperrime adumbrarem, attuliſſe mihi videor plurimas, quæ huc pertinent, cauſſas, morales æque ac phyſicas.*) Quo ex numero etiam ſunt illæ, quas nobis aperiunt tempora cuiuscunque reipublicæ vel imperii pacata aut turbulenta, quæ magnam omnino vim habent, cum ea ſit hominum in univerſum omnium indoles, ut, ad quamcunque rem temporum impetu deferuntur, ei vel maxime adhæreſcant. En igitur ampliſſimum campum, in quo excurrere, vir-

*) Vide librum meum: Abhandlungen zur Geſchichte und Litteratur. S. 173 — 297.

virtutemque ſuam commonſtrare poteſt futurus hiſtoriæ ſcholarum ſcriptor. Atque videbit ille, ſi ſolertiam adhibuerit, alia adhuc multa, quibus ſæpenumero effectum fuit, ut vel florerent ſcholæ, vel mutarentur, & aliam ex alia acciperent formam. In quo illud præſertim admoneo, ut ratio habeatur virorum, in quibus ſingularis quædam, & incredibilis, propeque divina extitit ingenii vis. Hi enim, qua ſunt præſtantia & auctoritate, ætatis ſuæ homines ad ſui ſimilitudinem facile rapiunt, idque adeo efficiunt, ut diſcentium ſtudia, docentium vero rationes & conſilia huc illuc inclinentur. Denique de ſeculi genio, cuius paullo ante mentionem inieci, quid me attinet plura commemorare? Adeone quemquam a veritate alienum putem, quin intelligat, quantopere ille genius diſcentium animos nunc excitarit alueritque, nunc peſtilenti quodam ſidere afflatos, ab optimarum artium ſtudiis retardarit?

Unum adhuc reſtat, quod neſcio, an ſit contemnendum. Pertinet id ad terminos eius, quam quærimus, hiſtoriæ, recte definiendos. Facile enim hic peccare ſolent homines, antiquitatis præſertim amore ita correpti, ut, quorum nulla extant monumenta, quæque oblivione dudum ſunt obliterata, anxie perquirant, & magnam inde laudem ſe conſequuturos putent. Qua in re vehementer errant, quotquot ſcholas adeo antedilu-

diluvianas describunt, & magno certe conatu magnas nugas agunt. Namque in rebus tam longinquis, omnique memoria destitutis, nihil certi definiri, nihil ad liquidum perduci potest. Itaque historiam scholarum conditurus, missas faciat has nugas, & otiosorum hominum deliramenta. Eam potius sequatur viam, quæ tutior sit, & ubi firmiori pede incedere possit. Differat ille de Aegyptiorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, Germanorum, aliarumque gentium scholis, quarum non ob res solum magnifice gestas, sed ob litteras egregie excultas illustre quondam fuit nomen. Et quoniam religione Christiana per omnem, quam late patet, orbem invecta, magnopere mutata fuit scholarum facies, disquirat ille & diligenter exponat, quæ inde orta sit iuvenum educandorum ratio. Ubi varias constituere poterit periodos, varie iam a variis designatas. Schöpperlinus enim, celeberrimus quondam scholæ Nordlingensis Rector & nuperrime adeo rebus humanis ereptus, rem Christianorum scholasticam in quatuor dispesci vult periodos. *) Quarum prima dici potest patristica; altera nomen habet a *Carolo M.*, litterarum sua ætate fugientium statore; tertia monachorum scholas complectitur; quarta denique inde

a sacris

*) Magazin für Schulen und die Erziehung. Th. 5. S. 403.

a ſacris ſec. XVI. expurgatis ad noſtra pertingit tempora. Hos igitur limites, hæc intervalla ſibi conſtituat is, qui de hiſtoria ſcholarum adornanda cogitabit unquam. Sic enim iter tam longum felicius conficiet, & habebit interdum, ubi requieſcat, viresque quaſi colligat.

Com-

COMMENTATIO

DE ADIAPHORIS

IN UTROQUE SACRAMENTO,

BAPTISMO ET EUCHARISTIA,

OBVIIS.

DISSERTATIO

DE BAPTISMO

IN UTERO, SANCTO.

BAPTISMO ET EUCHARISTIA.

CURTIS.

De *Adiaphoris* dum dicere adgredior, peropus esse videtur, quæ ad indolem eorum cognoscendam rectiusque diiudicandam pertinent, strictim enarrare. Nonnulli enim hoc ipsum requirent; & qui harum rerum satis periti sunt, nec me monitore egent, non vituperabunt sollertiam meam, certe non succensebunt mihi, ab ipsa rei, de qua disputaturus sum, definitione ordienti. Est autem id, quod ἀδιάφορον vel μέσον a Græcis, *indifferens* a Latinis vocatur, ex genere eorum, quæ inter bona & mala quasi interiacent, (τὰ μεταξὺ τῶν ἀγαθῶν καὶ κακῶν, ut Stobæus ait,) vel quæ nec iuvant nec lædunt, quæ ad animos movendos *) & ad augendam felicitatem parum faciunt, adeoque mediocrem habent æstimationem. Multa de his, curiose magis quam utiliter, olim disputarunt Stoici. Cum enim in sola virtute & vitio omnia posita esse arbitrarentur, eo erroris progressi sunt, ut rerum delectu sublato, cetera pro nihilo haberent, & inter

*) Ἀδιάφορεῖν itaque is dicitur, qui animo æquo est, & quod accidit, non magni pendit, interdum etiam negligit, & susque deque habet. GELLIUS Noct. Attic. lib. 16. c. 9.

ter ſanitatem & morbum, inter divitias & pauperiem nihil prorſus dicerent intereſſe.*) Quam ob rem plurimas dederunt Adiaphororum diviſiones, ne ſcilicet in tanta rerum, quæ naturâ ſuâ nec bonæ nec malæ ſunt, varietate, miſcere omnia penitusque negligere viderentur. Zenonem ſcimus varias procudiſſe voces, ut differentiam inter ea, quæ ἀδιάφορα ſ. *Indifferentia* dicuntur, aperiret. Alia enim dixit eſſe προηγμένα, i. e. τὰ ἀξίαν ἔχοντα, quæ *æſtimabilia*, *producta* & *præcipua* vocantur a CICERONE, quia dignitatem quandam habent, & iure meritoque ſuo quibusdam anteponuntur, ut valetudo, ingenium, opes, gloria. Alia putavit eſſe ἀποπροηγμένα, ſ. τὰ ἀναξίαν ἔχοντα, quæ *reiecta* nec ulla æſtimatione digna appellat CICERO, ut dolor, morbus, ſenſuum anmiſſio.**)

Sed nolo hæc longius proſequi. Sunt enim vel ambigua multisque adeo erroribus obnoxia, vel nimis argute ſubtiliterque dicta, vel inutilia plane, nec digna ſatis, quibus ad animum oblectandum, ne dicam erudiendum utaris. Jampridem etiam, ut

*) CICERO de fin. bon. & mal. lib. 2.

**) Plura de his qui legere cupit, adeat LAERTIUM de Vitis Philoſophor. lib. 7. c. 1. n. 60. 61. CICERONEM de fin. bon. & mal. lib. 3. cap. 15. ſeq. SENECAM epiſt. 82, &, qui rem omnem diligentiſſime perſequutus eſt, JUST. LIPSIUM in manuductione ad Philoſ. ſtoicam. lib. 2. Diſſert. 23.

ut CICERO ait, desitum est de his disputari. Quare per hæc dumeta incedere, & in his verborum præstigiis hærere, nihil attinet. Faciant id, quibus volupe fuerit; ego certe fastidio. Satis est, fundamenti loco posuisse hoc, quod ponendum videbatur, nempe *Adiaphora* esse ea, quæ nec bona nec mala sunt, quæ ab arbitrio cuiusvis pendent, quæque ad eius rei, cui applicantur, naturam constituendam tam parum valent, ut eâ salvâ abesse & adesse possint. Cuius quidem generis plurima dari, inter omnes constat. Sunt enim Adiaphora, quæ dicuntur, *moralia*; sunt etiam *politica*, sunt denique *ecclesiastica*, &, si vis, multo adhuc plura, quæ aliis examinanda relinquo. Neque enim omnia nunc percensere lubet, sed id constitutum apud me & deliberatum habeo, ut ostendam, quid sint *Adiaphora ecclestiastica*, ea præsertim, *quæ in utroque sacramento, eucharistia nempe & baptismo, obvia sunt.* De quibus definiendis non est quod valde sollicitus sim. Dudum enim id fecerunt Auctores Formulæ Concordiæ, ad quos eo lubentius provoco, cum idonei sint testes, magnamque in hac ipsa re collocaverint operam. Hi vero, *Adiaphora*, dicunt, *esse ritus ecclesiasticos, in se indifferentes & arbitrarios, ab ecclesia vel boni ordinis, vel tranquillitatis, vel divinarum*

veritatum commonefaciendarum causa introductos.)*

Sed nec data hac definitione rem omnem effeciſſe mihi videor. Itaque ea nunc attingere placet, quæ inde fluunt, nec omitti ullo pacto poſſunt, ſi Adiaphororum naturam penitius pernoſcere velis.

Jam *primum* apparet, pertinere ad Adiaphora hoc, *ut lege divina neque mandata ſint neque prohibita.* Sunt enim ex genere eorum, quæ arbitraria vocamus, quæque a cuiusvis eccleſiæ voluntate pendent. Jam finge tibi, adeſſe legem divinam vel iubentem vel prohibentem; non amplius habebis rem liberam & in arbitrio poſitam. Data enim lege, oritur obligatio, quæ eſt neceſſitas moralis agendi. Neque tamen Adiaphoris tantum largimur, ut credamus, poſſe ea leges divinas in univerſum omnes migrare, iisque adeo adverſari, quæ ſacrarum literarum auctores θεόπνευστοι docuerunt. In quo certe eos, qui ſic ſtatuunt, vel ratio fugit, vel dicti illius Paullini ignoratio tenet: Πάντα ἐυσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. 1 Cor. XIV, 40. Quæ verba cum ad omnem vivendi rationem pertinent, tum etiam ad cultum externum, & ad ritus eccleſiaſticos transferri poſſunt; nec obſcure ſigni-

*) Form. Concordiæ Art. X. Jo. Ben. Carpzovius in Iſagoge in libros eccleſ. luther. ſymbolicos pag. 1587. ſeq. J. G. Walchius in Introd. in lib. eccl. luther. ſymbolicos. p. 858. ſeq.

significant, non assumendos esse ritus, nisi eos, qui ordini inserviant & effatis divinis non refragentur. Possunt tamen, ut hoc addam, variæ in variis ecclesiis obtinere cerimoniæ. Ex diversitate rituum enim non oritur diversitas ecclesiarum, sed manet unitas. Quod ipsum Patres iam vidisse, pervulgatum illud docet: *Dissonantia ieiunii non dissolvit consonantiam fidei.*

Adiaphora *porro* hoc sibi proprium habeant necesse est, *ut bene utiliterque composita sint, nec vitio laborent.* Qui enim fieri aliter potest, ut, quem intendunt, finem assequantur? Aut quo alio pacto ad ordinem servandum & ad externum Dei cultum ornandum facere quid possunt? Recte igitur iudicant, qui turpes & indecoros ritus ab ecclesia arceri iubent, longissimeque removendas putant cerimonias superstitiosas, & vel ad vanam pompam, vel adeo ad lasciviam iocumque compositas. Non possunt enim non inde profluere turbulenti errores, qui quanto facilius animum moresque corrumpunt, tanto maius afferre solent damnum. Nec sine causa ritibus his noxiis adnumerantur ii, quos malo consilio adhiberi eoque potissimum tendere videmus, ut diversæ religiones sensim commisceantur & quasi coalescant. Namque & hinc plurimum exsurgit damni, dum multorum vel conscientia perturbatur, vel infirmitas læditur, vel credulitas decipitur ita, ut verendum

omnino ſit, ne Syncretiſmo via aperiatur, aut in eam opinionem inducantur multi, habere ritus magnam vim ad Deum integre pieque colendum.*)

In

*) Veruntamen hæc, quæ dixi, non ita intelligi volo, ac ſi in eccleſiis prorſus diverſis non idem rituum innoxiorum uſus obtinere poſſit; nec ille ego ſum, qui omnem cerimoniarum communionem fugiendam exiſtimem. Quid enim? Nonne Apoſtoli virique apoſtolici ritus quosdam e profanis gentilium ſacris rerinuerunt, ut ſcilicet opinionem novitatis, quæ ethnicos a religione chriſtiana revocare potuiſſet, amolirentur? Nonne Lutherus, cum nova ſacra, eaque præceptis S. S. & genio Chriſtianiſmi magis conformia, inferret, quædam Pontificiorum inſtituta ſervari iuſſit? quod tantum abeſt, ut Papiſmum redoleat, ut potius laudandum ſit. Vid. ab ELSWICH *Comment. de reliquiis Papatus eccleſiæ Lutheranæ temere affictis.* cap. IV. Itaque non audiendi ſunt *Puritani*, quos, ſcimus, magnas olim calamitates, magnos tumultus in Anglia concitaſſe. Hi enim exiſtimant, tollendum eſſe omne commercium cum Pontificiis, etiam id, quod communi rituum uſu efficitur. Quam opinionem fuſius exponit DAN. NEAL, ipſe Puritanus, *in the Hiſtory of the Puritans*, ubi inter multa alia hæc quoque occurrunt: *The Puritans affirmed, all the miniſtrations of the Church of Rome to be ſuperſtitious and idolatrous; they renounced her Communion.* cap. 4. p. 145; & paullo poſt: *The Puritans inſiſted, that ſuch Rites and Ceremonies, as had been abuſed to Idolatry, and had a manifeſt Tendency to lead Men back to Popery, were no longer indifferent, but to be reiected as unlawful.* p. 147.

In Adiaphoris *denique* diligenter videndum est, *ut nec supervacanea sint, nec nimis multa.* Quid enim effici luxuriosa rituum multitudine potest? Quem habent usum, cum ad nihil prosint, nisi ad oculos inani splendore præstringendos? Non augent profecto & sustentant internum Numinis cultum, sed debilitant & tantum non impediunt. Quod ipsum optimus Servator his verbis declarasse videtur: Οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως, (cum externo maiestatis splendore,) ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν. Luc. XVII, 20. 21. Dum vero de inani molestaque rituum multitudine caute evitanda loquor, facere non possum, quin præstantissima ecclesiæ apostolicæ imago subeat mentem. Cuius quotiescunque apud me recolo memoriam, non pie solum revereor eam, sed & principem ducemque ad ingrediendam eandem rituum rationem exstare cerno. Quoad enim longissime animus antiqua illa tempora respicere potest, semper ritus primitivæ ecclesiæ omnium præstantissimos video. Omnia tunc ad morum sanctitatem pectorisque candorem referebantur; ad pompam & ostentationem nihil. Itaque pauciſſimi illa ætate erant ritus, omnes vero ad promovendum intensiorem Dei cultum egregie compositi. Neque tamen in laudatissima hac simplicitate diu perstiterunt veteres Christiani, sed quo tranquilliora nacti sunt tempora, tanto maiorem quæsiverunt rituum apparatum, ita ut quinto ac sequentibus seculis

ſplendidæ ſumtuoſæque cerimoniæ ſenſim divulgarentur.

§. Multa adhuc de Adiaphoris diſputari poterant, quæ vero, ne verboſior ſim, tacitus prætermitto. Cur enim recenſeam aut adeo refutem errores Pontificiorum, tantam ritibus ἀδιαφόροις vim tribuentium, ut neglectis iis neque Deum recte coli, neque peccatorum remiſſionem obtineri poſſe credant? Aut cur enarrem hiſtoriam belli adiaphoriſtici, ante hos CCXL, & quod excurrit, annos ſatis diu agitati, & hac præſertim de quæſtione orti: num tempore perſecutionis & in caſu confeſſionis liceat, Pontificiis ita cedere, ut, etiamſi in doctrina diſſentiant, tamen poſtulantibus illis ritus quidam indifferentes ſerventur, & Adiaphora iam abrogata in uſum revocentur? Sunt enim hæc vel ſatis nota & a viris doctis dudum expoſita, vel nimis ſubtilia atque minuta, quam ut uberiori indigeant diſquiſitione. Præſtat itaque ad id, quod propoſitum mihi eſt, accedere, & *Adiaphora in utroque ſacramento obvia* examinare, ut quam habuerint originem, quæ fata, quem denique uſum, rectius intelligatur. In quo perficiendo ita verſabor, ut *ritus*, qui vocantur, *baptismales* præmittam, *) & dein-

*) In explicandis his ritibus ſummâ diligentia elaborarunt Vossius de baptiſmo, Jos. Vicecomes de antiquis bapt. ritibus libr. V., Wilh. Wall in *Hiſtoria Pædobapt.*, a J. L. Schlossero, meri-

& deinceps de evcharisticis disseram, omnes vero ex intima antiquitate, quam fieri poterit, diligentissime illustrem.

Et quod ad eos ritus attinet, quos in Baptismo cum apud nos, tum apud alios obtinere videmus; facile intelligitur, usum aquæ non iis adnumerari posse Adiaphoris, de quibus nunc sermo est. Nititur enim ille mandato divino, Joh. III, 5; atque idem etiam comprobatur Joannis & Apostolorum exemplis, Joh. I, 26. 31. Act. VIII, 36, quæ satis docent, aquam a baptismate rite administrando seiungi nullo pacto posse. Falluntur itaque, qui deficiente aqua *arenam* *) aut alium quemcunque liquorem adhibendum esse putant. Falluntur etiam *Seleuciani*, qui, cum animas hominum ex igne & spiritu conflatas somniarent, baptisma per *ignem* fieri debere existimarunt. Nec recte sensit STEPHANUS II, sec. VIII Pontifex Romanus, qui urgente necessitate *vinum* adhiberi posse, sibi persuasit, **)

Lon-

meritissimo quondam Hamb. Pastore latinitate donata, &, qui de antiquitate ecclesiastica omnium optime promeritus est, Jos. BINGHAMUS in *Originibus ecclesiasticis*. Vol. I, lib. II. c. I seq.

*) Vid. Jo. A. Schmidii Diss. de baptismo per arenam.

**) In dubium hoc vocarunt quidam scriptores Rom. Catholici, HARDUINUS maxime in *Operibus selectis*. p. 223. seq.

Longe autem aliud eſt, ſi quæris, num larga aquæ perfuſione initiationis ſacræ myſterium peragi debeat, nec ne? Sive enim baptizandus aquâ adſpergatur, ſive toto corpore in eam immergatur, perinde eſt. Olim quidem *immerſio* eaque *trina* in uſu fuit, tum ad ſignificandam S.S. Trinitatis invocationem, tum in memoriam triduanæ Chriſti ſepulturæ,*) & reſurrectionis tertio die factæ. Ad quem ipſum morem reſpexiſſe omnnio videtur Paulus, de Chriſtianis per baptiſma cum Chriſto ſepultis diſſerens. Rom. VI, 4. Col. II, 12. Accidit tamen haud raro, ut ab immerſione recedendum eſſet, tum maxime, ſi ſacro lavacro imbuendi vel ægrotabant, vel in ſummo vitæ periculo verſabantur. Hinc ortum traxit baptiſmus *Clinicorum*, quos aqua tantum adſperſos & Chriſtianorum ſacris initiatos fuiſſe ſcimus.**) Nec obſcurum cuiquam eſſe poteſt, demergendi morem plurimis in eccleſiis ſenſim in deſuetudinem abiiſſe, *adſperſione* eâ, qua hodienum utimur, in locum eius ſurrogata. Cuius quidem mutationis cauſam, ſi ab äeris intemperie & a verecundia diſceſſeris, hanc potiſſimam eſſe arbitror, quia plerique videbant, effectum baptiſmi non ab aquæ copia pendere, nec intereſſe, quantum quisque abluatur. Veruntamen eccleſiæ, Græca

*) Veteres eccleſiæ doctores baptiſmum ideo vocant συνταφιασμὸν & ἀπόκρισιν τῆς σωτηρίου ταφῆς. Vid. *Suiceri* Theſ. eccleſ. P. I. p. 259.

**) Bosius de Clinicis eccleſiæ veris. cap. 2.

Græca & Ruthenica, immerſionem ſervarunt, quippe quam mandato divino ex aſſe reſpondere & ex nativa βαπτισμου ſignificatione fluere contendunt. In quo quantopere errent, commonſtrari facile poteſt. Licet enim βαπτίζειν idem ſæpe ſit, quod *immergere*; *) patet tamen, hanc ipſam vocem ſæpenumero nihil aliud ſignificare, quam *adſpergere* & *abluere*. Quod tum verba Luc. XI, 38. obvia declarant, tum etiam Paulus comprobat, Ebr. IX, 10. περὶ διαφόρων βαπτισμῶν ſ. de variis Judæorum ablutionibus diſſerens, quarum nonullas adſperſione tantum peractas fuiſſe, nemo neſcit. Itaque a vero non abſunt, qui baptizandos non aquæ immergunt & eius quaſi mole obruunt, ſed perinde eſſe putant, num immergendo, an adſpergendo ſ. adfundendo peragatur baptiſmus. Antiquiſſimum illum immergendi ritum in plerisque eccleſiis dudum quidem abrogatum ſcimus; fuerunt tamen, qui de eo renovando ſerio cogitarent. Audi, ut alios taceam, **) *Lutherum* Tom. II. Opp. lat. Jen. p. 273: *Vellem baptizandos in aquam immergi, ſicut ſonat vocabulum & ſignat myſterium, non quod neceſſarium arbitrer, ſed quod*

*) PLUTARCHUS de ſuperſtit. βάπτισον σαυτὸν εἰς θάλασσαν, *immerge te ipſum mari.* Pertinet huc locus Reg. lib. 2. c. 14, quem ſic vertunt LXX: Καὶ κατέβη Ναιμὰν καὶ ἐβαπτίσατο ἐν τῷ Ιορδάνῃ.

**) Quos longo ordine recenſet WALL in Hiſt. Pædobapt. Vol. II. p. 488 ſeqq.

quod pulchrum foret, rei tam perfectæ & plenæ, ſignum quoque plenum & perfectum dari.

Atque de hoc quidem ſatis. Venio nunc ad *Sponſores*, quorum quidem uſum ſi quis neceſſarium appellare velit, non pugnabo; neque tamen id mihi ſumi patiar, ut credam, eundem ritibus acceſſoriis adnumerari poſſe, quia de eo ſervando nulla in ſacris litteris exſtat lex. De *cauſis*, quæ Sponſorum uſum & olim ſuaſerunt & hodienum ſuadent, nihil dico; ſunt enim notiſſimæ. Præſtat in originem *Suſceptorum**) inquirere, quam perantiquam, nec tamen omnibus ſatis exploratam eſſe ſcimus.

Alii a Judæorum ſacris eam repetunt; alii autem, ut *Buddeus* Miſcell. Sacr. P. II. pag. 24. a primis eccleſiæ Chriſtianæ incunabulis arceſſunt. Id certum eſt, ſuſceptores ſecundo, ſaltim tertio poſt Chriſtum natum ſæculo obtinuiſſe. Tertullianus enim de baptiſmo c. 18, dicit: "Quid neceſſe "eſt, ſponſores etiam periculo ingeri?„ Ingentes ſcilicet illæ calamitates, in eccleſiam tempeſtatis inſtar deſævientes, primam, uti videtur, huius ritus

*) Permulta Sponſorum nomina apud veteres auctores occurrunt. Vocantur enim *Suſceptores*, gr. ἀναδοχοι, παιδαγωγοὶ, ἡγεμόνες *fideiuſſores, deductores, patroni, teſtes, patrini & matrimæ*. Cf. VICECOMES de rit. bapt. lib. 1. c. 30. SCHELGVIGII Diſſ. de patrinis matrimisque.

ritus introducendi dederunt occasionem. Cum enim multi, horrenda supplicia timentes, baptismum facillime abnegarent, multi etiam baptismum clam peragerent, multi denique subita morte abriperentur: legibus ecclesiasticis cautum fuit, ut omnis baptismus non nisi adhibitis quibusdam testibus perageretur, ne scilicet quis revocare posset baptismum, neve memoria baptismi illis, qui subito ad supplicia trahebantur, collati, intercideret. Triplicis autem generis erant *sponsores*, quorum *alii* pro infantibus, *alii* pro adultis ægrotantibus ad respondendum pro se non idoneis, *alii* denique pro omnibus adultis respondebant. Qui munere hoc fungebantur, præsertim in Pædobaptismo, initio erant parentes; quod comprobat Augustinus ep. 23. ad Bonifacium. Postea vero, consuetudine hac per Concil. Moguntinum anno DCCCXIII. habitum can. 55. abrogata, provincia hæc diaconis & diaconissis demandata fuit, quod etiam a nonnullis retro seculis iam obtinuerat; illis quidem si mas, his vero si mulier baptizanda erat. Quod ad numerum sponsorum attinet, unicus tantum primis ecclesiæ seculis admittebatur. Cum vero multi sibi persuaderent, omnem veritatem duobus aut tribus inniti testimoniis, duo deinceps vel tres adhibiti sunt. Quid! adeo deinceps auctus est sponsorum numerus, ut, quod & hodie nonunquam fieri solet, sex & plures admissi fuerint.

Cæte-

Cæterum ad ſponſorum munus non admittebantur, qui neque in plena eccleſiæ communione vivebant, nec ipſi ſacro fonte initiati erant. Hinc hæretici, catechumeni, poenitentes, *) energumeni, ſemper a munere hoc ſubeundo arcebantur; ipſi enim auxilio adhuc indigebant, nec baptizati erant.

Quæ plerosque primitivæ eccleſiæ ritus depravavit, Pontificiorum eccleſia, etiam hunc in abuſum traxiſſe, quis eſt, qui neſciat? Jam dudum enim inepta illa opinio, de cognatione ſpirituali per ſponſionem contracta, invaluit; cuius manifeſta veſtigia ſæc. VII. iam deprehendi, Conc. Trullanum quod idem ſtatuit, docet. Vetuſtum illud, quod ſponſoribus tribuebatur, nomen patrinorum, compatrum &c., frivolæ huic ſententiæ anſam præbuiſſe videtur. Cui ſi quis adiicere velit nimiam lucri divitiarumque cumulandarum cupidinem, me quidem adverſarium non habebit. Auctis quippe cognationis gradibus, auctæ etiam ſunt diſpenſationes

*) Cum Monachi ad numerum poenitentium voluntariorum referrentur, iis ipſis hanc ob cauſam ſponſio pro baptizandis prohibebatur, quod docet Conc. Antiſſiodurenſe can. 25. Et hæc lex ad hunc usque diem in eccleſia Romana ſervatur. Plura de ſponſoribus habet *Guil. Wall* l. c. Tom. I. 69. 468. BINGHAMUS Ant. Eccl. Vol. I. edit. Lond. lib. XI. c. 8. & *Gerh. a Maſtricht* de ſuſceptoribus infantum.

nes in causis matrimonialibus, quas, scimus, uberrimum fuisse redituum fontem.

Sequitur *Exorcismus*, sive actus symbolicus, quo certa adhibita formula virtus baptismi, vim & opera satanæ in hominibus infringendi, significatur. Qui ritus utrum Adiaphoris ecclesiasticis adnumerandus sit, nec ne, satis ampla litium tam in nostra, quam in reformata ecclesia motarum, fuit materies.*) Reformati quidem exorcismum prorsus reiiciendum putant. Qui vero eadem nobiscum sacra profitentur, adhuc inter se dissident. Alii pro exorcismi usu pugnant: alii vero mediam tenent viam, & exorcismum ritum indifferentem vocant, eundemque pro arbitrio ecclesiarum vel retinendum, vel abrogandum. Posterior hæc sententia nostro ævo prævaluit, plurimosque habuit adsecias.

Jam ad originem exorcismi quod attinet, repetenda ea quibusdam videtur ab ipsis discipulorum Christi temporibus. Christus enim teste Matth. X, 1. discipulis suis potestatem tribuit, spiritus impuros in nomine suo expellendi; cumque sublimis in cœlum abiret, idem confirmavit, Marc. XVI, 17. Atque si fides danda est *Justino Martyri* in *Dialogo cum Tryphone*, & *Cypriano* ad *Demetrium*, donum hocce

*) Prolixam huius controversiæ narrationem vide in Greg. LANGEMAKII Hist. Catechet. P. II. c. 4. p. 133 seqq.

hocce miraculoſum etiam ad primos Chriſtianos tranſiit & ſatis diu in primæva eccleſia permanſit. Quod etiam teſtatur *Minucius Felix* cap. 27. pag. m. 103: "Ipſis teſtibus, eſſe eos dæmonas, de ſe "verum confitentibus credite. Adiurati enim per "Deum verum & ſolum, inviti miſeris corporibus "inhæreſcunt, & vel exſiliunt ſtatim, vel evaneſ- "cunt gradatim, prout fides patientis adiuvat aut "gratia curantis adſpirat.„ Neque tamen omnes ac ſinguli Chriſtiani dono hoc miraculoſo otioſe prædiți erant; ſed a doctoribus atque epiſcopis per priora ſæcula peragebatur exorciſmus, iis præſertim adhiberi ſolitus, qui dæmonum aliorumque morbum cruciatibus angebantur. *) Poſtea deſinente hâc miracula patrandi facultate, deſiit quoque miraculoſus exorciſmi effectus. Nihilo tamen ſecius retentus eſt exorcizandi ritus, & ſeculo, ut videtur, tertio ad baptiſmum relatus**), donec iuſſu Coelestini I. ſæc. V. Pont. Rom, velut indiſſolubili vinculo cum eodem coniungeretur. Ita enim Coelestinus epiſt. 8. *ad epiſcopos Galliæ*: "Quum ſive par- "vuli, ſive iuvenes ad regenerationis veniunt ſa- "cramentum, non prius fontem vitæ adeant, "quam

*) Lege omnino Binghamum l. c. Vol. I. lib. 3. c. 4. Wernsdorfium in Diſſ. de vera exorcismorum veteris eccleſiæ indole, ſect. 2. & Pfannerum de donis miraculoſis vet. eccleſiæ.

**) Vid. Moshemii Inſtit. Hiſt. eccleſ. p. 131.

"quam *exorcismis* & exsufflationibus clericorum "spiritus ab eis immundus exigatur." *Exorcistæ*, *) quibus munus hoc postea demandabatur, curam Energumenorum habebant, & officium recitandi grande illud & minax carmen, quo spiritus maligni evanescere iubebantur. **) Intelligitur itaque, valde tunc mutatam fuisse Exorcismi vim & significationem, cuius in locum succedente tempore alius venit significatus, qui hodienum obtinet, atque eo tendit, ut baptizandi e servitute diaboli Deo adserantur, Spiritum S. accipiant &c. Quod reliquum est, baptizandi, simulac exorcismo perculsi erant, olim ter insufflabantur, adiecta formula: "Accipe Spiritum S. & in corde teneas." Fiebat autem hoc antequam sacro fonte abluerentur, ad declarandam Spiritus S., qui salutares in animo motus producit, donationem.

Ad Adiaphora baptismalia iure etiam refertur *usus vestium candidarum*, a quo ad hunc usque diem nondum recessit ecclesia. Antiquissima est hæc

*) Frequens inde a seculo III. apud antiquos auctores est *Exorcistarum* mentio, quos ad inferiores Clericorum ordines pertinuisse, atque etiam Catechumenorum curam egisse, BINGHAMUS docet l. c. Vol. I. lib. 3. c. 4.

**) Ενεργούμενοι, qui & δαιμονιζόμενοι, χαιμαζόμενοι s. *hyemantes* vocantur, ii erant, qui malo dæmone excruciari credebantur, epileptici forsan.

hæc consuetudo, & gentilibus iam iam cognita. Hi enim in solennibus peragendis, albis vel candidis utebantur vestibus; quarum usus iis quoque frequens erat, qui honores & munera ambibant, & hanc ob causam *Candidati* vocabantur. In sacris Judæorum eundem obtinuisse morem, Levit. XVI, 4. 32. Exod. XXVIII, 39 seq. manifeste docetur *) De origine vestium candidarum autem in ecclesia Christiana usitatarum, non una omnibus est sententia. Alii iam tempore Apostolorum vestigia illarum reperiri putant, atque adeo ad verba Pauli Gal. III, 27. provocant; alii vero recentiorem esse vestium harum usum rectius contendunt. Utcunque vero res se habeat, dubitari certe id non potest, hunc ritum a Judæis ad Christianos transiisse, & ex ipso immersionis ritu fluxisse. Variis candidæ hæ vestes insigniebantur nominibus, candorem splendoremque earum significantibus, e.c. ἐνδυματα φωτεινα, ἱματια λευκα και λαμπρα, albæ & splendidæ vestes. Quibus qui induti erant, a Lactantio *grex niveus & candidus exercitus* vocantur, in carmine, quod ei tribui solet, de Paschate p. m. 1231. s.

Candidus egreditur nitidis exercitus undis
Atque vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat.
Et gregè de niveo gaudia pastor habet.

Ea

*) Braunius de vestitu sacerdotum ebræorum.

Ea autem vestium harum erat ratio, ut baptizandi depositis consuetis vestibus, (quo repræsentabatur officium mutandi animum deserendique omne peccatum,) albis circumdarentur, tanquam symbolo innocentiæ lucisque per baptisma acquisitæ. Vestem hanc corpori adplicatam per octo plerumque dies gerere singuli iubebantur. Cumque primis ecclesiæ seculis baptismus, nisi necessitas aliud suaderet, ad festum resurrectioni servatoris consecratum differretur, orta hinc est denominatio primæ post Pascha *dominicæ in albis;* non solum enim recens baptizati, sed & omnes, qui in plena ecclesiæ communione erant, alba veste cincti cultui divino interesse tenebantur.*)

Quartum inter ritus baptismales locum sibi vindicat *manuum impositio*, de cuius origine non est, quod multa disputem, cum ex sacris litteris constet, tam Christum Matth. XIX, 15. Marc. X, 16. quam Apostolos Act. VIII, 17. XIX, 6. Ebr. VI, 2. eo usus fuisse; a quibus denique ad Christianos descendit. Nec tamen in peragendo baptismo solum, sed & in confirmatione, omnisque generis benedictionibus usitata fuit hæc consuetudo. Hinc catechumenis, antequam sacro fonte imbuerentur, & Energumenis, quotiescumque ab Exorcistis dimittebantur, manus impositi

*) Wegnerus de alba veste baptizatorum. Schmidius de dominica in albis.

sunt. A solis episcopis hoc primitus factum esse legimus, sed ita, ut simul intelligamus, Concilia & canones Presbyteris aliisque clericis eandem facultatem impertiisse, quia Episcopi, vel morbo impediti, vel laboribus districti, χειροθεσίας munus ad alios sæpe transferre cogebantur. Significatio ritui huic adhærens, varia erat & multiplex. Manuum enim impositione baptizatis benedictio tribuebatur, Spiritus S. deposcebatur, ipsi in numerum legitimorum ecclesiæ membrorum recipiebantur, & perpetui in Deum amoris commonefiebant.*)

Nec silentio prætereunda est *abrenuntiatio*, cum stipulatione sui erga Deum arctissime coniuncta. Equidem sunt, qui ritum hunc ἀδιαφόρως adnumerandum esse negant, &, ut sententiam suam tueantur, ad verba Pauli 1. Tim. VI, 12. provocant: *Apprehende vitam æternam ad quam vocatus es, & professus præclarum professionem* (quæ vi oppositionis renuntiationem quoque complectitur) *coram multis testibus.* Verum nihil agunt,

*) Vid. Binghamum l. c. Vol. I. lib. 12. c. 1. lib. 4. c. 7. von Sanden in Diss. de χειροθεσία. Svicerum Thes. eccl. Tom. 2. p. 1516. Casp. Zieglerum de Diaconis & Diaconissis vet. eccl. c. 6. §. 8. A χειροθεσία differt χειροτονία, quippe quæ ad Clericorum ordinationem plerumque refertur. Docent hoc Constitut. Apostol. lib. 8, ubi hæc occurrunt: πρεσβυτερος χειροθετεῖ, ὁ δὲ χειροτονεῖ.

agunt, qui patrocinium sibi inde parari posse credunt. Namque 1) hæsitant interpretes, utrum hic de confessione a Timotheo, cum sacris Christianorum initiaretur, data; an de confessione fidei publice exhibita, cum conferretur ipsi munus prædicandi Evangelium, sermo sit. Fortasse etiam a vero haud longe absunt, qui omnem hunc locum de spontanea quadam Timothei professione, in conspectu quorundam fidelium solenniter data, intelligunt. 2) Non id agit Paulus, ut de ritu confessionis diligenter servando præcipiat quidquam, sed loquitur de eo tanquam de re facti. 3) Adsunt testimonia satis antiqua, quæ docent ritum hunc iam primis ecclesiæ seculis pro indifferente & in sacris litteris non determinato habitum fuisse. TERTULLIANUS *de corona militum.* c. 3: "Hanc, "ait, si nulla scriptura determinavit, certe consu-"lendo auxit, quæ sine dubio de traditione mana-"vit." Idem fere sentit *Basilius* de Spir. S. c. 27.

Sed redeamus in viam, videamusque, quæ fuerit abrenuntiationis in veteri ecclesia usitatæ indoles. Comitabatur illa exorcismum; baptismum vero præcedebat, ita ut a Catechumenis ad baptisterium deductis, solenni ritu perageretur. Variæ memorantur formulæ, quas Catechumeni eloqui iubebantur: v. c. "Renuntio Satanæ & operibus "eius, & pompis eius, & cultibus eius, & angelis "eius, & inventis eius, ac omnibus, quæ sub eo

"sunt." In plerisque ecclesiis unica tantum, in nonnullis vero, occidentalibus præsertim, *trina* adhibebatur *abrenuntiatio*, sic comparata, ut baptizandus ter interrogaretur & ter responderet *Abrenuntio*, vel ad significandas tres divinitatis personas, quibus Catechumeni simul se addicebant, vel ad exprimendum antiquum illum ritum civilem, quo domini, cum servos suos manumittere vellent, *ter* iuri suo renuntiare solebant. Ritus accessorii, cum abrenuntiatione cohærentes, omnes ad testificandam veram mali aversationem tendebant. Namque 1) baptizandi, baptisterium ingressi, faciem ad occidentem vertebant. Quod quo consilio factum sit, facile intelligitur. Sicut enim Christiani sub imagine ortus vel solis orientis in mentem olim revocabant solem illum iustitiæ, & infinita beneficia per Christum parta: *) ita occidens tenebrarum erat symbolum. Quam ob rem baptizandi facie ad hanc plagam versa significasse videntur, *tum* infelicitatem, miseriamque illorum, qui adhuc satanæ vinculis constricti sunt, *tum* propositum animi, deserendi regnum hocce caliginosum & respuendi omnia tenebrarum opera. 2) Manus versus eandem plagam protrudebant baptizandi, vel etiam collidebant, & ad abnuendam, gravissimi-

*) Hinc sine dubio ortus est mos, ubivis fere locorum receptus, exstruendi scilicet altaria versus orientem, & facie ad altare versa accipiendi benedictionem.

mique impedimenti instar removendam tenebricosam illam malitiam; & ad significandam perpetuam eius aversationem.

Hanc ἀπόταξιν s. abremuntiationem excipiebat & proxime insequebatur sponsio obedientiæ erga Christum, σύνταξις dicta. Cuius diversi fuere ritus. Non enim ad occidentem, sed ad orientem versi Christo se addicebant Neophyti, qui corporis situs tam conversionem a tenebris ad lucem, a diabolo ad Christum, & asseverationem baptizandi indicat, se, prouti decet hominem christianum, lucis opera peracturum esse. Ad hunc ritum accedebat sublatio manuum oculorumque ad cœlum, quo desiderium animi satis manifeste prodebant. *) Utrumque hunc morem abrenuntiationem puta & Syntaxin, ad hunc usque diem servari, notum est; obsoleverunt autem ritus, quos diximus, accessorii.

Restant nonnulli ritus baptismales, minoris quidem ponderis, nec olim per omnem ecclesiam usitati, silentio tamen non prætereundi. Pertinet huc

1. *Unctio*, quam duplicem fuisse, veteres auctores aperte docent. Alia quidem religiosam ablutionem antecedebat, atque *oleo* sancto perageba-

*) Binghamus l. c. Vicecomes de bapt. rit. lib. 2. c. 16. Mart. Chladenius in Diss. de abrenuntiatione baptismali.

tur; alia de ſacro fonte iam egreſſis tribui ſolebat, ita ut *unguento* perfunderentur.*) *Prior* illa a diaconis &, ſi mulieres baptizandæ eſſent, a diaconiſſis adminiſtrabatur; *poſterioris* autem conferendæ ius & facultas penes ſolos erat epiſcopos. Ad originem utriusque quod attinet, ſunt quidem, qui apoſtolicam adeo auctoritatem ei tribuere ſatagant; ſed nihil habent, quo ſententiam ſuam firmare ſatis poſſint. TERTULLIANUS enim, ſec. II. auctor, unctionem poſt baptiſma adhibitam commemorans, nihil dicit de antebaptiſmali.**) Quare hæc recentiori ævo orta quibusdam videtur.***) Atque idem TERTULLIANUS unctionem factam eſſe contendit in ſimilitudinem ritus, ſub prioris fœderis œconomia uſitati, quo in cultu levitico ſacerdotes ſacra unctione muneri ſuo initiabantur: ut adeo appareat, fuiſſe hunc ritum quaſi ſymbolum ſpiritualis ſacerdotii & inſignis illius, qua Chriſtiani per baptiſma augentur, dignitatis.****)

*) Facile hinc intelligi poteſt, quid ſibi velint loquendi formulæ χρίειν τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ, χρίειν ſ. σφραγίζειν μύρῳ, ἡ τοῦ μύρου τελειωτικὴ χρίσις. — Unctio antebaptismalis poſt συνταγὴν Chriſto factam, editamque fidei confeſſionem, locum habuit.

**) De baptismo c. 7.

***) DALLÆUS de confirmatione lib. 2. c. 3.

****) BINGHAMUS l. c. Vol. I. lib. II. c. WALL Hiſt. Pæd. Vol. 2. p. 515 ſeq. J. G. WALCHIUS in Diſſ. de ritibus baptiſmalibus ſec. ſecundi p. 32 ſeqq.

2) *Usus lactis & mellis*, cuius aliquanta pars recens baptizatis tam adultis, quam infantibus gustanda dabatur, respectu forsan habito ad 1 Cor. III, 2. & 1 Pet. II, 2. Diu servavit ecclesia hunc morem, satis quidem aptum & idoneum, ad significandam novam baptizatorum nativitatem, innocentiam, adoptionem a Deo factam, atque dulcedinem cum vero Christi cultu coniunctam. Hodie prorsus exspiravit; nisi Coptis atque Iacobitis eum communem esse dicere velis, quod docet ZEIBICHIUS in Diss. de *infantatione per usum lactis & mellis.*

3) *Pedilavium*, cuius usum Iudæis olim maxime familiarem fuisse scimus. Hi enim ante cubitum pedes ab æstu, qui in Oriente nimius est, delassatos & pulvere conspurcatos lavare solebant. Quod cum servorum seu hominum infimæ conditionis proprium esset officium, Christus, insigne humilitatis exemplum ostensurus, discipulorum pedes lavit. Ioh. XIII, 5. Quam ob causam lavandorum pedum morem imitati sunt veteres Christiani, atque adeo mysterii quid in eo latere crediderunt, moti scilicet effato Christi Ioh. XIII, 8.: "nisi te lavero, "non eris mei particeps." Baptizatorum pedes post baptismum lavare moris erat, non quidem detergendæ sordis ergo, sed vel ad declarandam spiritualem mentis purgationem vel ad significandam humilitatem, ne, docente AMBROSIO de Sacram.

c. 3, in mysterio erubescant, qui non dedignantur in obsequio. Neque tamen late patuit hic mos, nec diu duravit. Cum enim lascivire & pedilavio abuti cœpissent sacerdotes, ineunte sec. quarto a Concilio Illyberitano plane prohibitum fuit.*)

4) *Sal*, qui, baptismo nondum peracto, linguæ baptizandorum imponebatur, tanquam symbolum sapientiæ, diuturnitatis, (sal enim cibos diutius servat, ne putrefiant) & prudentis morum sermonumque moderationis. Col. IV, 6.

5) Apertio & tactus narium, aurium & oculorum; cuius consuetudinis origo ab exemplo servatoris Marc. VII, 33. VIII, 25. & Ioh. IX, 6. obvio nonnullis derivanda videtur. Scopus illius erat, ut fidei auditus designaretur, baptizandi sortem humanam agnoscere condocerentur, denique attentionis & prudentiæ commonefierent.

Iam, missis Adiaphoris baptismalibus, ad eucharistica accedo, quorum alia olim frequentissima fuere, alia hodienum obtinent. De quibus antequam loquor, facere non possum, quin de materia S. Cœna terrestri pauca moneam. Nempe cum vinum ac panis sint de essentia Sacramenti, & anxie retineri debeant: dubitari profecto nequit, magno

in

*) Fusius de hoc ritu differit auctor libri: *Ceremonies & coutumes de tous les peuples du monde.* Vol. I. Hoffmann de pedilavii Christi vera falsaque imitatione, & I. M. Heineccius Abbildung der alten und neuen griechischen Kirche. P. III. p. 229.

in errore versari eos, qui duabus hisce speciebus vel tertiam addunt, vel alteram subtrahunt, adeoque rem S. Cœnæ visibilem vel absurde augent, vel inique mutilant. Utrumque & olim factum fuisse, & nunc in ecclesia Romana fieri, inter omnes constat. Quis enim hoc nescit, *Gnosticos*, ad obscœna & turpia quæque proclives, & *Borboritarum* nomine olim infames**), Eucharistiam quoque ad pessimos abusus traxisse? Aut quem præterit, *Encratitarum* sec. II. hæresin, quæ miram de se gloriabatur ἐγκρατειαν seu abstinentiam, non vino sed aqua adhibita celebrasse eucharistiam?**) Aut cui obscurum est, Montanistarum vel Cataphrygum sectam, cum pane eucharistico *caseum* adposuisse, & ritu hoc servando *Artotyritarum* nomen sibi comparasse?***) Quem denique latet ingens ille error Pontificiorum, qui communionem sub una & ποτηριοκλεψιαν contra institutionem Christi, contra usum Apostolorum, contra praxin primitivæ ecclesiæ exercent? Fluxit quidem

*) Augustinus de hæres. c. 6. *Nonnulli*, inquit, *eos etiam Borboritas vocant, quasi Coenosos, propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicuntur.*

**) Factum hinc est, ut *Aquarii* & *Hydroparastatæ* vocarentur Encratitæ. Binghamus lib. 15. c. 2.

***) Ἀπο του τυρου, quod *caseum* significat, quem cum pane obtulisse dicuntur, quoniam a primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ovium factas credebant. Augustinus de haeres. c. 48.

dem hic error ex more satis antiquo panem vino intingendi, præsertim ex transsubstantiationis figmento, quod seculo XI. ortum, & sec. XIII. inter articulos fidei receptum esse scimus: quæ vero ad defendendam thesin suam afferunt Pontificii, infirma sunt, & a viris doctis dudum explosa.*)

Dixi, panem & vinum, utrumque verum, perquam necessarium esse in administranda eucharistia, nec rite peragi hoc sacramentum, nisi utraque materia terrestis adhibeatur. Perinde tamen est sive panis fuerit fermentatus vel non fermentatus, rotundus vel oblongus, modo verus sit; perinde quoque est, sive vinum rubrum & aqua dilutum fuerit, nec ne, modo verum sit. Equidem, quod ad hanc posteriorem S. Cœnæ speciem attinet eam plerumque aqua permixtam fuisse, vetustissima tam Patrum, quam Conciliorum testimonia & canones docent.**) Res sane est indifferens & arbitraria; adeoque a nostris ecclesiis non servata. Veteres tamen non deesse sibi putarunt rationes, pro communi hoc ecclesiæ usu militantes, quarum hæ præcipuæ sunt. *Primo* quidem vinum aqua temperabant ad significandam unionem, quæ Christum inter atque fideles

*) Schmidius in Diss. de fatis calicis eucharistici. Buddeus in Diss. de symbolis eucharisticis quæ in *Parergis* eius hist. theol. exstat. I. G. Walchius de historia transsubstant. Pontificiæ.

**) Vid. Binghamum lib. 15. c. 2. sect. 7.

les intercedit. Sicuti enim, aiunt, mutua guttarum plurimarum coniunctio unum efficit fluidum corpus; ita Christus quoque & fideles in unum quasi corpus coguntur. *Secundo* suasit hunc morem exemplum optimi servatoris, quem vino aqua diluto in S. Coena usum fuisse certo credebant; cui denique *tertia* addi potest ratio, a sanguine & aqua e latere Christi profluente petita. Ioh. XIX, 34.*) At hæc omnia satis quidem pie, sed non satis recte dicta videntur. Primum illud argumentum nihil valet, cum vinum & panis iam sufficiant ad hanc ipsam unionem in S. Coena significandam: quemadmodum enim potus & cibus corpori alendo plurimum inserviunt, nec quisquam sine illis diu vivere potest; ita Christus atque fideles arctissimo quodam vinculo inter se continentur, nec sublata hac unione diuturna felicitate frui quis

*) Easdem fere consuetudinis huius rationes enumerat Fried. Spanhemius Hist. Eccl. Sec. II. c. 4, iisque duas adhuc accenset, moralem alteram, ne in agapis quisquam meraco vino plus satis indulgeret, aut offenderentur Encratitæ; alteram politicam, ut gentilium calumnias præverterent Christiani. Notum enim est, gentiles Christianis, ob conventus, quos primis ecclesiæ temporibus habere cogebantur, nocturnos & antelucanos, insidias struxisse, eosque calumniis adfecisse; quod testantur *Minucius Felix* c. 8 & 9, atque *Lactantius* Institut. lib. V. c. 9. p. m. 566, ubi ignominiosis nominibus "deploratæ, illicitæ ac despe-
"ratæ factionis, latebrosæ ac lucifugæ nationis,
"quæ ad epulam solemni die coeat,, insigniuntur.

quis poteſt. Ad alterum quod attinet, nondum ſatis liquet, utrum Chriſtus vino aqua perfuſo uſus fuerit, nec ne. Fateor quidem, moris fuiſſe inter Iudæos, vinum, in illis regionibus nimis calidum, aqua temperare; quis vero mihi dicet, Chriſtum eundem ſervaſſe morem? Fac autem, Chriſtum id, quod diuturna tritum erat conſuetudine, retinuiſſe: quid inde? Num ad eſſentiam ſacramenti pertinebit? Num euchariſtia absque vino aqua diluto celebrata nulla erit? Tantum ſane abeſt, ut res tanti ſit momenti, ut potius, cum optimus ſervator nihil definiverit, ad ea referri debeat, quæ indifferentia vocantur. Tertio denique loco monendum eſt, quod ſanguis & aqua e latere Chriſti profluens, magis utrumque N. T. ſacramentum, quam ſolam euchariſtiam ſignificare poſſit. Accedit, quod eiusmodi eventus, naturalis quidem, licet ſymbolica ei ineſſe queat ſignificatio, univerſæ tamen eccleſiæ non iniungi debeat, tanquam regula, ad quam conformandi ſint ritus. Nimis enim hoc probaret, & ad alias quoque Chriſti actiones indifferentes extendi poſſet. Chriſtus e. g. cum S. Cœnam inſtitueret, accumbendo id peregit: nonne ergo & nos obſtricti ſumus, accumbendo eam celebrare? Ex quibus omnibus colligi facile poteſt, vini mixtionem eſſe rem arbitrariam, atque Adiaphoris eccleſiaſticis iure adnumerandam. Veruntamen perantiquus fuit hic ritus & olim uſitatiſſimus. Armenos adeo, propterea quod vinum aqua non dilue-

diluerent, graviter reprehensos fuisse, Conc. Trullanum docet. Quo factum est, ut ecclesia tam Græca, quam Romana, utraque traditionibus ecclesiæ valde inhærens, semper magno cum studio hanc consuetudinem retinerent, & ad hunc usque diem fervent, ita tamen, ut illa calidam, hæc frigidam aquam adhibeat.

Altera cœlestis huius convivii species, ad quam ordo nos ducit, semper fuit *panis*, nec ulla unquam exstitit hæresis, quæ illam prorsus reiecerit, licet Artotyritas pani caseum apposuisse constet. Valde tamen dubium est atque incertum, qualis in veteri ecclesia adhibitus fuerit panis, num *fermentatus*, an *non fermentatus*. Graviter in utramque partem hac de re iam inde a multis retro seculis disceptatum fuit, vehementes præsertim romanam inter atque græcam ecclesiam, quarum hæc fermentato, illa vero azymo pane utitur, subortæ sunt lites, eæque tanto fervore tantaque pertinacia agitatæ, ut hinc nomina Azymitarum ac Fermentatorum non satis honorifica emerserint.*) Ut autem, quod res est, dicamus; ingenue fatemur, usum panis fermentati olim fuisse frequentiorem, quam nonfermentati, gravesque pro hac sententia militare rationes.**) Atque primum

*) Copiose de his litibus disserit I. G. HERMANNUS in *Historia Concertationum de pane azymo & fermentato in Cœna Domini.*

**) BINGHAMUS Origin. eccles. lib. 15. c. 2. sect. 5.

primum quidem argumentum ab eo desumi potest, quod elementa S. cœnæ terrestria pleruinque sumta sunt ex oblationibus *populi*, communem sine dubio adeoque fermentatum panem offerentis. *Alterum* exhibet *Epiphanius* Hær. XXX, ubi peculiarem Ebionitarum ritum notat, eucharistiam pane azymo & mera aqua celebrandi. *Tertium* præbent Patrum nonnullorum testimonia, e quibus oppido patet, panem tunc temporis in S. Cœna usitatum eundem fuisse, qui ad vitæ communis usus adhiberi solet.*) *Quartum* inde peti posse videtur, quia veteres de pane azymo prorsus silent, & eucharistiam sæpius vocant *fermentum*: cui denique *quintum* accedit, quod innititur silentio Photii, omniumque scriptorum usque ad Michaelem Cerularium, sec. XI. Patriarcham Constantinopolitanum, qui primus ecclesiæ Romanæ usum panis azymi exprobravit. His vero omnibus persuaderi facile patimur, antiquissimum fuisse panis fermentati usum, eundemque tam orientali, quam occidentali ecclesiæ in S. Cœna familiarem. Quod enim Gabr. Albaspinæus**) dicit, oblationes has non ad S. cœnam, sed ad evlogias pertinuisse, nescio an fidem mereatur, cum Justini, Tertulliani, plurimorumque Patrum testimonia repug-

*) Ambrosius de sacram. lib. 4. c. 4. Vita Gregorii M. lib. 2. c. 41.

**) *De antiquis eccl. ritibus.* lib. obs. 5.

repugnent. *) Cave autem, existimes, me illum esse, qui panem ἔνζυμον præstantiorem, magisque necessarium quam azymum, adserere audeat. Id tantum volo, usum panis fermentati in primitiva ecclesia fuisse frequentiorem, quod ipsum nonnulli ecclesiæ Romanæ doctores, etiamsi azymo valde inhæreant, concedere non erubuerunt. Eminet inter hos SIRMONDUS *de azymo*, cuius sententiam *Card. Bona* **) aliique sequuti sunt.

Quod reliquum est, ii, qui fermentatum panem, antiquissimumque illius usum, testimoniis ex Act. II, 42. 46. & XX, 7. desumtis corroborare student, non optime sibi consulunt. Dubitari enim adhuc potest, num *fractio panis*, cuius hîc mentio iniicitur, Eucharistiæ denotet celebrationem, an potius de alio quocunque cibo sit intelligenda. Quod ut credam, *tria* me movent. *Primo* quidem verba illa *frangere panem cum aliquo* idem sæpissime significant, quod συνδειπνεῖν, sive coenare cum aliquo. Deinde omnis coena ab una eius parte, pane scilicet, haud raro denominatur; uti Græcis in more positum est, ab altera parte, potu nempe, totam coenam συμπόσιον, compotationem quasi, adpellitare. Utrumque hoc

*) HILDEBRANDUS in Offertorio pro defunctis, cap. 3 & 4.

**) Liturgic. lib. I. c. 23.

hoc confirmant plurima ſacri codicis teſtimonia. Luc. XXIV, 30. Act. XX, 11. XXVII, 35. Jeſ. LVIII, 7. Jerem. XVI, 7. Ezech. XVIII, 7. & Dan. V, 1. *Denique* in locis paullo ante allegatis fideles *manſionatim* panem fregiſſe, atque etiam *cibum* (τροφήν) *ſumſiſſe* dicuntur. Jam, quod primum attinet, credi vix poteſt, S. Coenam hic eſſe intelligendam; maxime cum verſus 46 doceat, fideles *quotidie* & ſemper fuiſſe congregatos. Nulla certe adeſt ratio, quæ quotidianum hunc euchariſtiæ uſum imperaſſe videtur; nec poſtea unquam in eccleſia frequentiſſimus ille uſus obtinuit: licet in ſingulis olim conventibus ſacris id factum fuiſſe negari nequeat. Deinde vox τροφης idem manifeſte docet. Nusquam enim S. Coena τροφη appellatur; multo minus uſus eiusdem μεταλαμβάνειν τροφῆς. Tametſi vero largiar, de celebratione ſacrarum epularum omnia eſſe intelligenda; ſane non video, quid inde pro pane fermentato efficere velis. Equidem, cum v. 46. fideles a Petro converſi κατ' οικον panem fregiſſe dicantur, non negaverim, panem fermentatum, quo plerumque homines uti ſolent, adhibitum fuiſſe; attamen ſemper ac omni loco eiusdem uſum obtinuiſſe, dubium adhuc eſt valdeque incertum. Panes enim, quibus Iudæi utebantur, azymi præſertim, ita parati erant, ut placentæ inſtar facile frangi poſſent; quod *Buxtorfii*, viri anti-

qui-

quitatum peritissimi, testimonio munire liceat, qui, "panes, inquit, Iudæorum erant κλασοὶ, id est, "apti ad frangendum: habebant enim panes subci- "neritios, lata, tenui & fragili forma, sicut azy- "mos formari, necesse erat, ut in illa sua densi- "tate plane percoquerentur.„

Atque *de pane fermentato*, cuius in ecclesia græca hodie obtinet usus, satis quidem multa. De *azymo*, quo nostra aliæque ecclesiæ utuntur, non est, quod copiose dicam, aut ea repetam, quæ nostro mori olim obiici solebant, forsan & nunc ab adversariis obiiciuntur. Provocant nimirum ad Christi & Apostolorum praxin; allegant etiam christianæ antiquitatis exemplum. Quibus omnibus id efficere volunt, ut morem suum extollant, nos vero *Azymitas* *) in contemtum adducant. Sed salva res est. Namque Christi exemplum nobis adeo non repugnat, ut potius, quem nos sequimur, morem egregie confirmet. Illuxerant enim, cum optimus Servator cœnam institueret, dies Paschales; quibus omne fermentum, omnisque panis ἔνζυμος tantâ curâ atque sollertiâ exterminabatur, ut ne fragmenta fermenti quidem in domibus relinquerentur. Iubebat hoc lex gravissima,

*) Nomine hoc, ut videtur, contumelioso notati olim sunt a quibusdam auctoribus, græcæ ecclesiæ addictis, omnes ii, qui pane non fermentato in S. Cœna utuntur.

viſſima, exciſionem adeo minitans; *) quam legimus Exodi cap. XII, 15. 18. 19. XIII, 7. Levit. XXIII, 6. Itaque Chriſtus non poterat non pane azymo uti: nec video, quid effici hinc poſſit. Dicent quidem, qui nobis refragantur, atque urgebunt hoc, Chriſtum, cum S. cœnam inſtitueret, adhibuiſſe panem tunc quotidianum & omnibus familiarem. Neque tamen ſic proficient quidquam. Manet enim hoc, panem, quo Chriſtus uſus eſt, fuiſſe *azymum*. — Et ad Apoſtolorum quod attinet praxin, nondum ſatis liquet, utrum panis illorum euchariſticus ſemper fuerit fermentatus; licet ea tempeſtate panem ex oblationibus ſacris ſumtum fuiſſe largiamur. Quæri enim adhuc poteſt, num per regiones Orientis in univerſum omnes panis communis fuerit fermentatus? Nec deſunt teſtimonia, quæ panem orientalem fermento prorſus carere ſatis ſuperque docent. Jo. CHARDENIUS, **) qui omnes fere Orientis regiones peragravit, ritusque ac conſuetudines hinc inde obtinentes diligentiſſime deſcripſit, duo inſignia rei huius habet teſtimonia, quæ, ſi quid coniiciendo

*) Cauſam huius legis SPENCERUS ex Maimonide affert hanc, quia Idololatræ non niſi panem fermentatum offerebant, & in oblationibus ſuis res dulces eligebant, ſacrificia melle inungentes. *de legibus Hebr. ritualibus* lib. 2. c. 4. p. 409.

**) CHARDIN Voyages [en Perſe & autres lieux de l'Orient. Amſt. 1711.

endo assequi possum, nostram tuentur sententiam. Unum exstat Tom. II. cap. 15. p. 59. ubi ait: "Les "Mahometans & les Gentils généralement font leur "pain sans levain, que leur Religion interdit." Jam, cum hic mos perantiquus esse videatur, cumque plurimi Christianorum cœtus ex gentilibus olim conflati fuerint, ipsi denique Apostoli in terris orientem versus sitis degerint; admodum probabile est, iis adeo temporibus usum panis non fermentati obtinuisse. Alterum, quod præsertim panem eucharisticum spectat, testimonium Tom. I. cap. 14. p. 65. exstat: "Ils (scilicet incolæ regionis Mingrelianæ) "consacrent comme ils peuvent "dans le Sacrement de l'Eucharistie, sans s'obliger "comme les Grecs à consacrer toûjours en pain "levé." Et paulo post: "les Mingreliens consa-"crent toute sorte de pain." Qui mos, etiamsi inde ab Apostolorum ætate eum derivare nolis, id tamen docet, sacram coenam olim pane fermentato, æque ac azymo adhibito fuisse celebratam. Quæ cum ita sint, nihil certe est, quod omnem illam adversariorum obiectionem timeamus, cum ad summum commonstret id, quod ultro largimur, panis fermentati & azymi in S. Cœna usum esse indifferentem.

Poteram hic multa adhuc disputare de tempore, quo *panis azymi usus* invaluit, quem ante ipsa reformationis auspicia per omnem fere eccle-

ſiam occidentalem frequentiſſimum fuiſſe, & ex hac ad noſtram tranſiiſſe ſcimus. Sed nolo his immorari, ne longus ſim, aut vana diſputatione lectores retardem. Dubia enim eſt res; nec ſatis conſtat, quo tandem ævo panis azymi uſus inter Latinos, h. e. occidentalis eccleſiæ ſectatores invaluerit. Optime agunt, qui ſenſim id factum eſſe putant, nec huic illive auctori fidem adiungunt, quippe qui vehementer inter ſe diſſident. Alii enim ALEXANDRUM I, ſec. II. Pontificem Rom, euchariſtiæ celebrationem in azymo ſanxiſſe dicunt. *) Alii, ad veritatem propius accedentes, inde a ſec. VII. huius conſuetudinis originem repetunt. Alii denique omne hoc diſcrimen ſec. XI. inter utramque eccleſiam, græcam atque latinam, ortum fuiſſe ſtatuunt. Quod quidem veroſimillimum eſt, *tum* quia ea ætate LEONI IX. Pontifici Romano, lis ſatis acerba a MICH. CERULARIO, Patriarcha Conſtantinop. ſuborta eſt; in qua etiam de pane non fermentato vehementius fere, quam de reliquis omnibus controverſiæ capiti-

*) PLATINA in vitis Pontificum. Idem *aquæ luſtralis* (Weihwaſſer) auctorem facit Alexandrum I, quod inique tulit BARONIUS in Annal. eccl. ad a. 132. Is enim apoſtolicam adeo huius ritus originem eſſe affirmat.

capitibus dimicabatur: *) *tum* quod eo tempore oblationes populi desinere occipiebant.

Venio ad panem eucharisticum, qualis nunc inter nos est, externamque eius formam. Est autem illa, quod neminem fugit, rotunda, tenuis, parva. Quam qui admittere nolunt, nullum quidem consuetudini nostræ patrocinium adesse putant: veruntamen valet provocatio ad exemplum Servatoris, quem tenui atque rotundo pane usum fuisse, ex inveterato Judæorum more colligi potest. Hi enim placentas, quibus tempore Paschatos vescebantur, non fermentatas atque rotundas coquere solebant; quod & nunc a Judæis inter nos degentibus diligenter servatur. Eundem rotundi panis usum iam inde a multis retro seculis inter Christianos obtinuisse, multa veterum auctorum comprobant testimonia. EPIPHANIUS enim, sec. IV. scriptor, in Ancorato, seu expositione fidei Catholicæ contra octoginta hæreses adserta, panem eucharisticum *rotundum* appellat.**) GREGORIUS

 etiam

*) HERMANNUS in Hist. Concertationum de pane azymo. VOSSIUS in Thesibus theol. p. 262 seq. SIRMONDUS in Disquis. de azymo. Tom. IV. Opp. Fr. BURMANNUS Exercitat. Part. 2. p. 315 seq.

**) *τρογγυλωειδὴς καὶ ἀναίσθητος, ὡς πρὸς τὴν δυναμιν.* Magna olim de hoc Epiphanii loco inter eruditos fuit contentio. Vide SALMASIUM de transsubstantiatione p. 206. PARÆUM de symbol. sacram. lib. 1. c. 8. DORSCHEUM in Exercit. in Diatyp. Conc. Nicæn. de S. Cœna sect. 3. §. 42.

etiam M. Dialogor. l. IV. c. 55., oblationes, ob rotunditatem panis, qui offerebatur, vocat *coronas*. Denique Iso, monachus, in libro de miraculis S. Othomari c. 3. *rotularum panis* mentionem iniicit.*) Ac ne quis dicat, hos omnes teſtes de rotunditate panis euchariſtici quidem loqui, nihil autem facere, ad uſum *oblatarum*, uti vocantur, commonſtrandum: addendum eſt id, quod pertinet ad panum, quibus hodie utimur, orbicularium & minutulorum antiquitatem. Nimirum cum perexiguus interdum eſſet communicantium numerus, imminuta quoque eſt panis, qui tunc frangi ſolebat,**) euchariſtici forma. Ceſſante autem

*) Binghamus Orig. eccl. lib. 15. c. 2.

**) Fractionem hanc ipſa panis conditio oliw imperaſſe videtur. Poſtea cum panes euchariſtici a populo offerrentur, iique ſatis magni eſſent; idem frangendi mos Chriſtianis remanſit; & vel ad imitandum ſervatoris exemplum, vel ad ſignificandam eius paſſionem tantâ cura eſt cuſtoditus, ut univerſam eccleſiam eum nonunquam obſervaſſe legamus. Veruntamen non uno modo a ſe invicem aberrarunt Chriſtiani. Alii enim in tres, alii in quatuor, in novem partes alii panem diviſerunt. Priori frangendi conſuetudini ſuffragati ſunt Occidentales; poſteriorem ſuam fecerunt Orientales; ultimam denique Mozarabes, Chriſtiani in Hiſpania Arabibus mixti, ſervarunt. Antequam diſtribuerentur panis particulæ, certo modo in altari diſponebantur, ita quidem ut crucis formam plerumque referrent. Ipſas vero has particulas admodum parvas fuiſſe, tum *micarum* adpellatio, tum vox ἐγκυπτεσθαι hinc inde obvia ſatis docet.

autem in permultis ecclesiis frangendi more, decrescente etiam sec. XI aut XII oblationum consuetudine, placentulis tenuibus atque rotundis uti coepit ecclesia romana, ex qua deinceps ad nos transierunt. Nec male egisse videntur Confessores nostri, hunc morem ad sacra sua referentes, maxime cum res sit in arbitrio posita, & ad effectum sacramenti nihil faciat. Habuit quidem hic ipse mos tot fere adversarios, quot patronos: nihil autem est, quod illorum vel dubia removeamus, vel obtrectationes pertimescamus. Mirari tamen subit, qui fiat, ut BINGHAMUS, vir alioquin ingenuus & ingeniosus, Cassandro aliisque assentiatur, qui morem nostrum satis acerbe perstringunt. *) Dicunt enim, relicta veteri consuetudine invectam esse tenuissimam panis formam, a veri panis specie adeo alienam, ut imaginarius potius & umbratilis, quam veri nominis panis sit nuncupandus. Hâc vero sententiâ quæ potest esse iniquior magisque erronea? — Et ad nomen quod attinet, quo panes orbiculares in S. Cœna usitati insigniuntur; nemo nescit, vocari eos mox *oblatas*, mox *hostias*.**) Prius illud nomen habent ab oblationibus, quæ inde ab ipsis ecclesiæ

 Christia-

*) BINGHAMUS lib. 15. c. 2. §. 6.

**) Ex instituto de panibus nostris eucharisticis, quos *oblatas* vocamus, differuerunt JO. ANDR. SCHMIDIUS & CHRIST. KORTHOLT.

Christianæ primordiis in usu esse cœperunt. *) Posterius autem ad sacrificium propitiatorium a Christo in cruce oblatum respicit; & originem suam debet errori Pontificiorum, qui S. Cœnam *verum, incruentum & propitiatorium sacrificium* pro peccatis viventium ac mortuorum esse putant. Cui errori, licet *hostiarum* nomine interdum utamur, tantum abest, ut calculum adiiciamus, ut eum potius detestemur, tanquam impium & unico Christi sacrificio contumeliosum, atque etiam ab antiqua ecclesiæ doctrina longissime recedentem. **)

Sed missa faciamus hæc. Restant enim alia adhuc Adiaphora, levioris quidem momenti, usitata tamen hodie. Inter quæ primum locum sibi vindicat *candelarum usus.* Est autem ille antiquissimus, & ab ipsis fere populi Christiani incunabulis repetendus. Cum enim Iudæi pariter atque gentiles capitali in Christianos, quos homines credebant vanos, pervicaces & sceleratos, flagrarent odio; cumque ipsi adeo imperatores iniquo agitati furore & avitæ superstitionis studio abrepti, omnes, qui gentilium sacra abhorrebant, in-

*) Pfaffius in Diss. de oblationibus eucharist. Hildebrandus in Offertorio pro defunctis. c. 4. 5.

**) Deylingius in *Diss.* de novitate errorum pontificiorum in articulo de sacra eucharistia; quæ extat in eius Obsservatt. miscell. p. 361.

iniuriis atque calamitatibus afficerent, Christiani conventus suos interdiu celebrare dubitarunt. Quo factum est, ut cœtus haberent nocturnos & antelucanos; quos candelarum usum imperavisse, nemo non videt.*) Idem vero suaserunt vigiliæ, parum a sacris ante lucem exortam institutis diversæ, & *tum* ex ipsa hac conventuum consuetudine, *tum* ex Iudæorum more, incipiendi sacra a vespera dies festos prægressa ortæ. Nunquam enim rite celebrari poterant, nisi lampadibus accensis. Verum, licet turbulenta hæc calamitatum procella ineunte sæc. IV. conticesceret, & eadem ætate tam vigiliæ, quam reliqui conventus nocturni, quoniam in deterius trahi incipiebant, abrogarentur; candelarum tamen usum a sacris suis diurnis non removerunt Christiani. Viguit ille potius per plurima secula & adhucdum viget; quamvis alia deinceps eaque multiplex esset eius utilitas & significatio. Primo quidem, quotiescunque evangelium legebatur, luminaria ante illud a cerofera-riis portabantur, atque lectori a latere ponebantur. Cum enim loca, in quibus Christiani, templis adhuc destituti, sacra sua peragere solebant sæpius essent tenebricosa, Chirographa autem lectu inter-

*) De nocturnis his conventibus quædam habet WALCHIUS Hist. Eccl. p. 709 seq. --- KORTHOLTUS autem *in Pagano Obtrectatore* l. 3. c. 5. copiose docet, quot quantasque calumnias ob hos nocturnos conventus experti sint veteres Christiani.

interdum difficilia; ad dispellendam caliginem, tollendamque legendi difficultatem, lumina adhibuerunt. Quod etiam feciſſe videntur, ad demonſtrandam lætitiam, rerumque, quas Evangelium complectitur, præſtantiam.*) Porro candelarum uſus in efferendis vitâ functis erat conſpicuus. Nec dubium eſt, a gentilibus accepiſſe hunc morem Chriſtianos, qui, etiamſi antiquiſſimum cremandi ritum perhorreſcerent, ac reliquas exequiarum celebritates, gentiliſmum redolentes, ſpernerent, luminaria tamen retinere non dubitarunt. Itaque funebrem quemque actum cereis, tam in ædibus lamentariis quam in eccleſia accenſis, concelebrarunt. Et quis eſt, quin videat, ad oſtentandum gaudium, cuius magnum ex beatiſſima pie defunctorum conditione percipiebant cumulum, cereos accenſos fuiſſe, hymnosque in laudem Dei cantatos? — Obtinuit etiam inter veteres Chriſtianos candelarum in honorem baptiſmi ardentium conſuetudo, ad teſtificandam ſine dubio lætiam, quam baptizatorum admiſſio & inita cum reliquis fidelibus communio adferebat.**) Soli plerumque baptizandi ardentes in manibus ferebant candelas. Si qui vero eſſent dignitate atque opibus conſpicui, ii magnâ pompâ ad baptiſterium dedu-

*) Binghamus Orig. eccl. lib. 14. Zieglerus de Diaconis & Diaconiſſis. c. 8. §. 35.

**) Peculiarem *de cereis baptismalibus* Diſſertationem prodire iuſſit Fæsius a. 1712.

deducebantur, & plurimorum comitum turba stipati erant, qui, vestibus albis cincti, faces manibus gestabant.*) Denique in Eucharistia celebranda frequentissimus iam olim fuit cereorum usus, quem duas ob causas adamasse videntur Christiani. Altera est, quod Christus eucharistiam tempore vespertino & luminaribus iamiam accensis celebravit. Matth. XXVI, 20. Marc. XIV, 17. Quare ad servandam huius temporis memoriam in consuetudinem ivit candelarum usus; cui veteres Christiani ita inhæserunt, ut flexo in vesperam die S. synaxin interdum frequentasse dicantur. Altera est, lætitiæ & gaudii est significatio, quam tanto maiorem esse volebant Christiani, quanto maius atque præstantius beneficium in nos contulit Iesus, cum S. Cœnam instituerat, tanquam fidei nostræ firmamentum, & tesseram summi, quem morte subeunda mox declaraturus erat, amoris.

Ex solennitatibus ecclesiasticis quoque est *crucis signum*, quod, cum a veteri ecclesia ad nos descenderit, dignum esse videtur, de quo nunc pauca addamus. Magnus olim fuit illius honos, magna veneratio, neque tamen, si ab incredibili fecu-

*) Insigne huius rei exemplum affert BINGHAMUS Orig. lib. XII, c. 4. Ab ipso usu luminarinm, quæ quasi symbolum illuminationis erant, *baptismus* nonnullis dictus esse videtur, φωτισμὸς, & baptizati φωτιζομενοι. V. HEINECCII Abbildung der griechis. Kirche. P. III. c. 3. p. 176.

ſeculorum ſubſequentium ſuperſtitione diſceſſeris, tanta tamque effrenata, ut ſigno huic tributa fuerit virtus & efficacia. **) Antiquitas illius inde a prima

*) Eccleſia Romana innocentiſſimum hunc ritum diu integrum ſervari, non paſſa eſt, ſed ad deterimos abuſus detraxit. Vix enim ac ne vix quidem conſuetudine hac orta, ſtatim cruces pictæ & ſculptæ in uſum venerunt; quas primi Chriſtiani ignorabant, & græca eccleſia ad hunc-usque diem non admittit. Verum & in hoc non acquievit ſuperſtitio, ſed eo usque progreſſa eſt, ut cruces altari impoſitæ atque in veſtibulo ſuſpenſæ, pedetentim a nonnullis colerentur, epiſcopis ſacra celebrantibus præferrentur, denique in proceſſionibus ex templo in campum, in coemeteria & alia loca fieri ſolitis, ſub cantu litaniarum, quæ inde *cruces* vocantur, portarentur. Effrenata quidem gentilium maledicendi audacia ita in veteres Chriſtianos defæviit, ut ſimulac crucis ſigno uti inciperent, ignominioſo *Crucicolarum* nomine eos notarent; poſtea autem Pontificios criminis huius ſe obnoxios feciſſe, omnes norunt. Teſtimonium venerationis illius iam Juſtiniani ævo uſitatæ, ex Novella eiusdem 123. advocat *Zieglerus* de *diaconis* c. 8. §. 33. ubi hæc occurrunt verba: "Sed "& honorandas cruces, cum quibus & in litaniis "ingrediuntur, non alibi niſi in venerabilibus "locis reponi, & ſi quando opus vocaverit ad li- "tanias celebrandas, tunc ſolum ſanctas cruces "accipere eos, qui conſuete eas portare ſo- "lent &c.„ Ex quo ſatis apparet, iam ea ætate crucis venerationem, ne dicam cultum obtinuiſſe. Verum crevit deinceps ſuperſtitioſa hæc veneratio & adeo aucta eſt, ut recentiorum eccleſiarum nonnullæ ſigno hoc uti amplius nolint. Puritanorum

prima ecclesiæ ætate est repetenda; usus vero inter Christianos frequentissimus non superstitioni, sed bonæ menti tribuendus. Patres ita de crucis signo loquuntur, ut credendum sit, in omnibus tam sacris, quam profanis actionibus id adhibitum fuisse. Certe TERTULLIANUS, latinorum Patrum facile princeps, crucis signaculum omni tempore locoque vult adhiberi. Ita enim ille: "Ad omnem "promotum, ad omnem progressum, ad omnem "aditum & exitum, ad vestitum, ad calceatum, "ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubicula, ad "sedilia, quandocunque nos conversatio exercet, "frontem crucis signaculo terimus: *de corona* "*milit*, c. 3.„ *) Quæ verba licet utriusque sacramenti norum certe obiectio contra pravam hanc consuetudinem mota, & a *Neal* in *the History of the Puritans* memorata, id arguere videtur. Ita enim de crucis signaculo in baptismo præsertim usitato loquuntur: "Besides the Sign of the Cross in "Baptism having been abused to superstition by "the Church of Rome, and been had in such "Reverence by some Protestants, that Baptism it "self has been thought imperfect without it, we "apprehend it ought to be laid aside.„

*) Idem fere dicit *Cyrillus Hierosolymit.* Catech. XIII: ἐπὶ πάντων ὁ σφυρὸς γινέσθω ἐπὶ ἄρτων βιβρωσκομένων καὶ ἐπὶ ποτηρίων πινομένων, & Catech. IV. 10: ποιεῖ δὲ τοῦτο τὸ σημεῖον ἐσθίων καὶ πίνων, καθήμενος, κοιταζόμενος, ἐξανιστάμενος, λαλῶν, περιπατῶν. Vide HASÆUM de σίγμασι Veterum & ESCHENBACHIUM in erudita differt. qua *veterum Criticorum* σημειώσεις exhibet.

menti nullam faciunt mentionem; certum tamen eſt, in *baptiſmo*, æque ac in *S. Cœna* uſum crucis maxime fuiſſe conſpicuum. Prioris conſuetudinis ætas accurate definiri nequit; ſeculo autem III. ſacro fonte initiandos crucis ſigno notatos fuiſſe, luculenta veterum comprobant teſtimonia; quæ ut recte, intelligantur, quatuor monenda ſunt & a ſe invicem diſtinguenda.*) Nempe crucis uſus erat 1. in Catechumenis ad reliquum Chriſtianorum cœtum admittendis, 2. in exorciſmo, manuum impoſitione & precibus, durante adhuc exercitio catechetico, fundi ſolitis, 3. in unctione, quæ ante baptiſmum fiebat, 4. in unctione confirmationis, quæ ſacro fonte ablutis conferebatur. Itaque crucis in baptiſmo uſus frequentior olim fuit quam hodie. Utraque enim unctione inter nos ceſſante, ceſſat quoque crucis ſignum; quo non niſi in ipſo baptiſmi actu utuntur noſtrates. Poſterior ſigni huius uſus in Euchariſtia maxime obtinuit. Cum enim quavis data occaſione, & in omni re ſacra crucem adhibuiſſe dicantur veteres Chriſtiani; certe in ſacrificio euchariſtico eam non omiſerunt. Evidentiſſimum habeo teſtem AUGUSTINUM Homil. 118, qui adeo contendit, baptiſmum, unctionem, & ſacrificium absque crucis ſigno non rite perfici poſſe. Non errant, qui ſignum hoc tum conſecrationi tum diſtributioni S. Cœnæ adiectum fuiſſe

*) Recenſet hæc teſtimonia BINGHAMUS lib. XV.

dicunt. Sicuti vero frequentissimus crucis usus quasi tacita Servatoris in crucem sublati invocatio erat, atque eo spectabat, ut animi a rebus terrenis ad Christum cruci affixum ducerentur, & ad studia sanctiora, atque constantem calamitatum perpessionem excitarentur; ita in eucharistia quoque ritus hic servabatur ad recolendam Servatoris memoriam, renovandumque insigne eius in perpetiendis adversis exemplum. Recte igitur fecerunt Confessores nostri, eundem ritum, præsertim in consecratione elementorum retinendum esse monentes. Missis enim superstitiosis aliorum figmentis, solam hanc ipsi tribuerunt significationem.*)

Unum adhuc restat, quod dubito an sit præterundum. Pertinet enim ad *ritum confirmationis*, antiquissimum illum, & plurimis ecclesiis hodieque familiarem. Olim quidem confirmatio velut comes baptismi erat, & unctione, manuum impositione, precibus denique adhibitis peragebatur. Neque in infantibus solum, sed in adultis etiam id locum habuisse legimus, eo certe consilio, ut baptismi actus, qui σφραγις ideo vocari solebat, tanquam sigillo aliquo obsignaretur, utque baptizati in Christianos-

*) Plura de signo crucis qui legere cupit, adeat SCHLICHTERUM de cruce apud Judæos, Christianos & Gentes signo salutis, Halæ 1733. WILDVOGELIUM de venerabili signo crucis, Jenæ 1733, & LIPSIUM, cuius libri tres *de cruce* exstant.

ſtianorum ſocietatem plenius reciperentur. Nihil autem antiquior eccleſia chriſtiana de ritus huius vi & efficacia, nihil de eius neceſſitate & origine divina dixit unquam; *) nec ſomniando quidem cogitavit id, quod Pontificii docent & acriter defendunt. Hi enim antiquæ illius *confirmationis* uſum atque naturam adeo immutarunt, ut eam non ritibus ἀδιαφόροις amplius annumerent, ſed pro *ſacramento* habeant, maioremque ei virtutem tribuant, quam ipſi baptiſmo, atque etiam ope eius characterem, neſcio quem, indelebilem animabus imprimi putent. Nec erubeſcunt, anathematis fulmen in eos vibrare, qui hanc ſententiam amplecti nolunt. **) In quo quantopere a veritate & concordiæ ſtudio abſint, fuſius iam commonſtrare nolo: dudum enim id fecerunt viri, ſumma erudi-

tionis

*) Cyprianus quidem Epiſt. 72 ad Steph., *Optatus Milevit.* lib. 4, p. 81 & alii de confirmatione tanquam de ſacramento loquuntur; ſed latius olim patebat *ſacramenti* & μυστηρίου vox, & ad multas res ſacras transferebatur, ita ut, ſi iniquus eſſe velis, facile inde elicere poſſes, antiquos eccleſiæ doctores plurima fidei dogmata in ſacramentorum numerum retuliſſe. Vid. Bebelii Antiq. eccl. ſec. 4. art. 8. ſect. 1. p. 242. Sic quoque auctores *Apologiæ Auguſt. Confeſſ.* art. 8 *abſolutionem* ſacramentum vocant, certe non ſtrictiori illo ſenſu, quem hæc vox in ſcholis Theologornm habet. V. Carpzovii Iſagogen in libros eccl. luth. ſymb. p. 411.

**) Concilium Trident. ſeſſ. 7. can. 1 ſeq. ſeſſ. 23. can. 3.

tiones laude conspicui. *) Præstat eum confirmationis ritum attingere, qui inter nos obtinet, & primum S. Coenæ usum antecedit, nec amplius baptismo adhæret, sed ad id tempus, quo ephebi facti sunt pueri puellæque, differtur. Est autem illius usus longe alius apud nos, quam apud Pontificios. Finita quippe institutione catechetica, iisque, qui ad S. Cœnam admitti cupiunt, salutari doctrina imbutis, manus imponuntur, benedictio tribuitur & preces sollemnes funduntur in argumentum confirmationis & sempiternæ in fide perseverantiæ. Ut itaque confirmatio nobis nihil aliud sit, quam facultas ad sacram synaxin accedendi, hominibus iam baptizatis & adultis a sacerdote, ritu sollemni (utinam & publico semper satisque splendido!) concessa. Quem ritum, licet sacramentis non accenseat ecclesia nostra, eo utilius tamen servat, quia Catechumeni foederis in baptismo olim icti admonentur, fidei professionem publice edunt, & in genua provoluti, preces ad Deum & ad Jesum Christum, τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν, fundunt. **)

*) CHEMNITIUS in Exam. Conc. Trid. DALLÆUS de confirmat. lib. 2. c. 1. KORTHOLTUS in confirmationis sacramento §. 18.

**) Præter eos, quos paullo ante citavi, auctores lege PFAFFIUM de confirmatione Catechumenorum in ecclesiis Aug. Conf. usitata, *Edmundum Martene* de ritibus sacr. eccl. lib. 1. p. 232, & alios, quos affert FABRICIUS in Bibliographia antiquaria. p. 395.

Ac quoniam ſatis multa de iis ritibus dixi, qui hodieque in uſu ſunt: nunc tandem ad eos accedo, quorum aut nulla, aut exigua ſuperſunt veſtigia, licet olim ubivis fere locorum obtinuerint. Ex his eſt ritus perantiquus & benevolentiæ amorisque plenus, *oſculum* ſcilicet *pacis*, quod & *fraternitatis*, *ſanctum* & *pax* ipſa dici ſolet. Tranſiit hic mos ab ipſis gentis Chriſtianæ auſpiciis in eccleſiam, & ad totum fere orbem Chriſtianum dimanavit. Origo eius, ſi quid video, a gentilibus eſt repetenda. Hi enim, obedientiæ & reverentiæ ſignificandæ cauſa, viris dignitate atque virtute illuſtribus oſcula figebant, atque etiam reges, magiſtratus, heroas denique deoſculabantur, quod Hebræis quoque in conſuetudinem veniſſe, ſacræ paginæ teſtantur. 1 Sam. X, 1. Pſ. II, 12. Proprius ab hoc oſculo, obedientiæ ſigno, abeſt id, quod ad declarandam obſervantiam inferiores ſuperioribus, ſubditi imperantibus, diſcipuli magiſtris offerebant, ita ut non manus ſolum, ſed etiam pedes deoſcularentur. Luc. VII, 38. Multa præterea ab antiquis auctoribus afferuntur genera oſculorum, quæ in occurſibus, in diſceſſu, amicis atque cognatis, denique peregre advolantibus, diuque deſideratis figi ſolebant. Hebræis id moris fuiſſe, frequentiſſima veteris codicis loquuntur teſtimonia. Gen. XXXI, 28. 2 Sam. XIX, 39. Gen. XXVII, 27. XXIX, 11. Luc. VII, 45. Exod. XVIII, 7. Perſas autem

autem atque Græcos eundem morem diligenter servasse, multa græcorum scriptorum loca perhibent, quæ longo ordine recenset Bucherus.*) Verum enimvero præstans hæc osculandi cerimonia, mox lasciva evasit & idololatrica. Consueverunt nimirum gentiles non statuas solum atque idola osculari, quod & sacræ paginæ 1 Reg. XIX, 18. & Hos. XIII, 2. testantur; sed summum quoque nefas habebatur, si quis deos & fana illorum absque osculis accedebat, vel, si labiis tangi non possent, manum ori admotam non suaviabatur & oscula versus illa traiiciebat. Neque in eo acquievit gentilium superstitio, sed eo usque progressa est, ut imagines, aras, lapides sculptos & quæ sunt alia, osculis exciperet.

Ast omnem hunc morem, divino honori obnoxium, detestati sunt veteres Christiani, & sibilis quasi exceperunt turpia hæc gentilium figmenta. Nihil enim nisi osculum, sinceræ pacis, charitatisque haud fucatæ tesseram, ad semet transire passi sunt. Neque tamen sola antiquitas hanc exosculandi legem sanxit; sed quoniam ad charitatem, & ad omnia tam humanitatis quam benignitatis officia proni ferebantur Christiani, ipsque hic mos præcepto Pauli inniti videbatur, Rom. XVI, 16. 1. Cor. XVI, 20. 2. Cor. XIII, 12., eundem ritibus suis adscribere non dubitarunt. Mutave-

*) Antiquit. biblic. p. 683 seq.

runt autem civilem eius usum in sacrum atque ecclesiasticum, amoris mutui, concordiæ, & communionis sanctæ indicem; ita ut, cum ethnicis idem faciendo, aliud prorsus intenderent. Cave vero credas, unam ac simplicem fuisse hanc ceremoniam, quæ multiplex erat & alio atque alio modo adhibebatur. Namque inde a primis ecclesiæ seculis osculum tam in conventibus sacris, quam in vitæ communis usu admodum frequens erat. Quotiescunque enim sacra sua publica celebrabant Christiani, finitis precibus & oratione peracta *) vir virum, fœmina fœminam osculo excipiebat, omnesque, ob imminens iis temporibus atrocissimæ persecutionis periculum, veluti moribundi sibi invicem valedicebant; quare etiam ritus hic *orationis signaculum*, & *sanctum osculum* salutatur. Verum obsolevit mox, una cum osculo in domibus privatis, viisque publicis usitato; cum vel ob ingravescentem abusum, vel ob acerbas gentilium cavillationes abiicere id tenerentur Christiani.**) Martyres porro vinculis detentos, infantes in mundum nuper editos, neophytos quoque ad congratu-

*) Iustinus Mart. sub finem Apolog. 2: Ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα, παυσάμενοι τῶν ἐυχῶν.

**) Kortholti Paganus obtrectator, sive de calumniis Gentilium in veteres Christianos. lib. 3. cap. 5. pag. 48. Cuius libri tanta est utilitas atque præstantia, ut antiquitatum christianarum studiosus eo carere vix possit.

gratulandum illis de admissione in ecclesiam, osculis amplexibusque exceptos fuisse legimus. Commemorabile etiam est osculum, quo se salutabant communicantes ad sacram synaxin accessuri. Dabant id plerumque ante usum eucharistiæ; ita tamen, ut in ecclesia orientali ante oblationem, in occidentali vero post consecrationem Episcopus clericos, fideles semet invicem, habito sexus respectu, suaviarentur. Quam temporis differentiam in utraque ecclesia servatam, tot tamque manifesta Patrum docent testimonia, ut dubitari de ea non possit.*) Denique morem Hebræis atque Romanis interdum usitatum, osculo scilicet morientibus & emortuis valedicendi,**) in se quoque receperunt Christiani veteres, nec tamen diu servarunt, cum in malam partem mox traheretur. Quibus omnibus si adhuc addere quid vis, id potissimum erit, quod pertinet ad oscula in conventibus sacris dari solita. Tantum enim abest, ut Christiani morem hunc semper servarint, ut potius singulis ieiuniis, omnibusque diebus festis, tristem aliquam rem in memoriam revocantibus, neglexisse videantur.***) Quare etiam illo tempore, quo passionis memoria con-

*) Vide BINGHAMUM Orig. lib. XV. c. 3, & RIXNERUM de veterum Christian. circa S. Eucharist. institutis. c. 7.

**) GEIER de luctu Hebræor. C. 5. §. 11. KIRCHMANNUS de funeribus Romanorum. QUENSTADIUS de Sepultura veterum. p. 66.

***) TERTULLIANUS de oratione c. 14.

concelebratur, oscula figere recusabant, *tum* quia osculum lætitiæ signum erat, cui his præsertim diebus se dare nefas habebatur, *tum* quia osculi hypocritici, fraudis scelerisque pleni, a Juda proditore in Christum defixi memoria atque imago animos tunc subibat.*)

Sed mitto hæc, &, qui plura scire cupiunt, ad eos, quos nominavi, auctores, tanquam ad fontes ablego, ut habeant, ubi sitim restinguere possint. Jam enim me invitat alia res, dignior forsan, cui ludimus quid ex antiquitate affundatur. *Fistulam* puto *eucharisticam*, cuius usus frequens olim fuit & in ecclesia latina longe lateque patens, nec hodie ita evanuit, ut nulla eius supersint vestigia. De ortu fistulæ, quæ *calamus* etiam, *suctorium*, *arundo*,

*) De antiquo osculandi ritu plura habet TOBIAS PFANNERUS de osculis Christianorum veterum, MARTINUS von KEMPEN de osculis veterum, PETRUS MÜLLERUS de osculo sancto, RITTERSHUSIUS. de osculis & BUCHERUS Antiquit. Biblic. p. 674 seqq. Idololatricum osculandi morem, qui inter Pontificios dudum obtinet, nemo ignorat. Solent enim agnellum ex auro, argento aliave materia factum, post pacem a Sacerdote impertitam deosculari, quod vocant das Pacem-Küßen. Solent etiam devotis, moribundis atque maleficis ad supplicium deducendis, martyrum reliquias, crucem ligneam & alia deosculanda præbere. Quæ vero in Pontificum pedes figuntur oscula, quid aliud produnt, nisi vanissimam superstitionem, & effrænatam Paparum insolentiam?

arundo, *canalis*, *canna* & *siphon* *) dici olim solebat, magna est inter eruditos sententiarum varietas. Alii quidem fistulas eucharisticas seculo demum XII excogitatas esse adfirmant. **) Alii vero ritum hunc longe antiquiorem faciunt. ***) Nec iniuria. Adest enim *Ordo Romanus*, quem FABRICIUS πολυμαθέστατος *librum* vocat *ecclesiasticum iam ante Caroli M. tempora notum*; ****) adsunt etiam alia testimonia omni exceptione maiora, quibus evinci facile potest, usum fistulæ eucharisticæ sec. VIII iam innotuisse. Certe ad seculum XII origo eius referri nequit, cum sciamus, communionem *sub utraque* tunc cessasse, nec ullum calicis usum fuisse in S. Cœna laicis exhibenda. Tametsi vero de ortu fistulæ inter se dissideant eruditi, in eo tamen consentiunt omnes, nimiam erga eucharistiæ symbola religionem huic consuetudini viam quasi patefeciisse. Timebant enim homi-

*) Lege omnino CAROLI DU FRESNE Glossarium mediæ latinitatis, ex quo multa hausit Io. VOGT, cuius pererudita extat Dissert. de Historia fist. eucharist. Brem. 1740. Sunt, qui fistulam euchar. λαβίδα vocari putent. Errant autem, cum λαβὶς sit *cochlear*, quo utuntur sacerdotes græcæ ecclesiæ addicti, ad panem vino benedicto intinctum communicantibus porrigendum. Vid. HEINECCII Abbildung der griechischen Kirche. P. 3. p. 320.

**) BUDDEUS in Diss. de symbolis eucharist. §. 11.

***) VOGT in Diss. modo laudata. p. 26.

****) In Biblioth. med. & inf. latinit. T. V. p. 502.

homines, ne guttula vini consecrati periret aut effunderetur; ideoque tanti, ut putabant, periculi evitandi causa fistulas argenteas, aureas, orichalceas aliasque adhibebant, unde laici vinum sugerent. Atque intempestivus hic metus suasisse videtur alios ritus, hoc ipso, de quo nunc loquimur, antiquiores, & ecclesiæ græcæ hodie familiares. (Hinc enim natus est mos, panem eucharisticum vino intingendi, eundemque cochleari adhibito laicis porrigendi. Cuius tanta est antiquitas, ut adeo ad seculum IV vel V pertingat.*) Neque tamen diu duravit, & in ecclesia latina desiit ita, ut inde a sec. XI nulla eius reperiatur mentio. Melius quid expertæ sunt fistulæ eucharisticæ, quas, scimus, inter Pontificios adhuc obtinere, & ab his ad Lutheranos transiisse. Hi enim post sacrorum repurgationem & παλιγγενεσίαν cum tot aliis ritibus, ab ecclesia romana acceptis, hunc quoque servarunt. Nec dubium est ullum, quotquot in terris brandenburgicis, holsatiensibus, cellensibus aliisque Augustanæ Confessioni addicti sunt, calamo suctorio diu usos fuisse, donec superiorum iussu abrogaretur.**) Hodie quidem in ecclesia hamburgensi viget; cui plures forsan adnumerari possunt, quibus fistulæ eucharisticæ usus placet, vehementer olim

*) Sonntag de intinctione panis eucharistici. Petrus Zornius in Historia eucharistiæ infantum. p. 59. Heineccius. lib. cit. P. 8. p. 295.

**) Vogt l. c. p. 34. 41.

olim & nunc vituperatus, neque tamen adeo vituperabilis, ut defendi nullo modo possit.

Poteram adhuc multa afferre de agapis, de eulogiis, de manuum ablutione aliisque ritibus tam eucharistiam præcedentibus, quam eam subsequutis. Verum reticeo plura, cum vel non sint Adiaphora eucharistica, vel in ipsa veteri ecclesia nec communis nec perpetuæ fuerint observantiæ. Dicam tamen, ne omnem rem silentio præteriisse videar, de *agapis* & *eulogiis*, quam fieri potest, brevissime. Et ad *agapas* quod attinet, parabantur illæ ex residuis oblationum partibus. Scimus enim, morem offerendi panem & vinum, aliasque res, primitivæ ecclesiæ per fuisse familiarem; ita ut omnes iam iamque communicaturi, iique ditiores, munera sua ad altare offerrent.*) Quæ quidem hunc præsertim in finem offerri solebant, ut elementa eucharistica ex illis pararentur; quoniam primis post Christum natum temporibus ecclesiæ vel nullis vel exiguis instructæ erant reditibus, nec satis habebant, unde vinum & panem ad S. Coenæ usum emerent. Cum vero ob magnum communicantium numerum, magnæ & insignes plerumque essent oblationes, reliquas earundem partes aliis usibus destinare, visum fuit Christianis.

Duplex

*) Binghamus Orig. eccl. lib. XV. c. 2. Hildebrand in Offertorio pro defunctis. c. 4 seqq. J. G. Walchius in Hist. eccl. N. T. p. 421. 743.

Duplex hinc ortum traxit consuetudo. Namque & ecclesiæ ministris oblationum pars aliqua, unde alerentur, porrigebatur, & συμφόρητα δεῖπνα, pauperibus sustentandis inservientia, ex illis instruebantur. Hæc illa sunt convivia, *agaparum* nomine insignita, quoniam ad fovendam caritatem (ἀγαπην) vel maxime tendebant. Equidem iam apostolorum ætate notas fuisse agapas, nonnulla sacri codicis testimonia arguunt; an vero omnibus Christianorum cœtibus in usu fuerint, vix adfirmare ausim. Neque certa lege definiri potest, utrum eadem ratione, eodem ordine ubivis peractæ fuerint. Disceptarunt hac de re eruditi, & adhuc sub iudice lis est. Sunt nimirum, qui *ante*, sunt vero etiam qui *post* eucharistiam communia hæc convivia celebrata fuisse contendunt. Qui agapas S. Cœnam antecessisse censent, ad testimonium Pauli, 1 Cor. XI, 20. 21. obvium, provocant quidem, sed non satis recte, quoniam de abusu sermo est. Qui vero peracta demum synaxi convivia illa caritatis habita fuisse statuunt, *Chrysostomum*, *Theodoretum*, aliosque a partibus suis stantes habent, &, quod maius est, communi propemodum consuetudini, eucharistiam in matuti-

tutinis conventibus vel etiam vespertino tempore*) celebrandi, excepto illo viridium die, innituntur. Sed meum non est, altius indagare hanc litem, & a cuius parte stet veritas, fusius disquirere.**) Facere tamen non possum, quin unicum hoc

*) Satis manifeste hoc docet TERTULLIANUS Apolog. c. 39, quem locum adscribere lubet, quoniam facit ad castitatem Agaparum cognoscendam: "*Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non* "*prius discumbitur, quam oratio ad Deum præ-* "*gustetur. Editur, quantum esurientes capiunt;* "*bibitur, quantum pudicis est utile. Ita saturan-* "*tur, ut qui meminerint, etiam per noctem* "*adorandum Deum sibi esse; ita fabulantur, ut* "*qui sciant, Dominum audire. Post aquam* "*manualem & lumina, ut quisque de Scripturis* "*sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur* "*in medium, Deo canere: hinc probatur, quomodo* "*biberit. Atque oratio convivium dirimit. Inde* "*disceditur, non in catervas cœsionum, neque in* "*classes discursationum, nec in eruptiones lasci-* "*viarum, sed ad eandem curam modestiæ & pudi-* "*citiæ; ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam* "*disciplinam.*"

**) Sive eucharistiam antecesserint agapæ, sive eam subsecutæ, vel, quod alii volunt, ab ea interdum separatæ fuerint, legimus tamen, S. Cœnam idem nomen sæpius sortitam fuisse; quod luculenta vetustiorum scriptorum comprobant testimonia. Vid. WALCHIUS l. c. 4, 740. Nec immerito *agaparum* nomen Cœnæ tribui puto, *tum* quia caritas & amor non ultimus eius est finis, *tum* quia ipsæ illæ agapæ semper, licet vario modo, cum ea coniunctæ fuerunt.

hoc addam, quod præſtans ille laudeque dignus mos per tria ſæcula frequentatiſſimus, non ita multo poſt in deſuetudinem abierit, & tandem ſec. V. legibus contra hæc caritatis convivia, honeſta olim & pudica, latis, fuerit interdictus. Rationes huius interdicti, conciliorum Laodiceni & Carthagin. III. decretis ſtabiliti, duas præſertim invenio: 1. quia abuſus pedetentim ingraveſcentes nimiam peccandi occaſionem præbebant, 2. quia gentiles, omnesque Chriſtianorum adverſarii iam inde a prima horum conviviorum origine, horrendas criminationes, deteſtandam præcipue impuritatis & ἀνθρωποφαγίας ſuſpicionem in illa coniecerant. At enimvero cum longius prodiiſſet hæc conſuetudo, altioresque egiſſet radices, quam ut uno actu deſtrui & exſtirpari poſſet, eam hinc inde occulte viguiſſe legimus, ita ut ſec. VII. nonnulla veſtigia moris illius reperiantur, qui innocenter & caſte ad noſtra usque tempora ſervari potuiſſet. *)

De

*) Binghamus l. c. lib. XV. c. 7. Schurzfleischius Diſſ. de agapis. Quistorpius Diſſ. de agapis naſcentis eccleſiæ Chriſtianæ. J. H. Boehmer in Diſſertationibus iuris eccleſiaſt. antiqui. Diſſ. 4. Ad ſimilitudinem agaparum accedere viden-

De *eulogiis* pauca monenda habeo. Varius & multiplex illarum est significatus, probe tamen distinguendus, ne, quod in tanta vocis homonymia facile fieri solet, confusioni locus detur. Primo quidem *eulogia*, (quæ, si vocis etymon spectes, benedictionem vel consecrationem significat,) idem fuit quod eucharistia; unde calicem ποτήριον τῆς ἐυλογιάς dicit Paulus 1 Cor. X, 16.*) Hæc, ni egregie fallor, primitiva vocis huius inter Christianos significatio fuit, utpote a vetustissimis patribus frequenter usurpata. Verum cum disciplina, quæ eucharistiam spectat, non ita multis post Christum natum seculis aliquantum mutaretur, dum quidam a communicandi necessitate immunes esse cuperent, & tantum ad S. Cœnæ celebrationem spectandam veni-

rent, alius evlogiarum ortus est significatus. Qui enim eucharistia perfrui recusabant, panem quendam consecratum, ab ipsa S. Cœna tamen diversum,

dentur CHARISTIA & PHILOTESIA veterum, de quibus JO. FRONTO in Epistolis selectis a. 1674. epist. 1. & VALERIUS MAXIMUS l. 2. c. 1. n. 8.

*) BINGHAMUS Orig. eccl. lib. 15. c. 4. QUENSTEDT Antiq. eccles. p. 393.

ſum, accipere poterant, qui *evlogia* appellabatur. Nec raro evlogiarum nomine ea pars inſignitur, quam Clerici ex oblationibus populi recipiebant: hanc enim primis eccleſiæ temporibus unam alendi Clericos rationem fuiſſe, iam ante monui. Denique evlogiam id quoque audiviſſe deprehendimus, quod iis, qui iuſtam ob cauſam aberant, quique vel ægrotabant vel vinculis conſtricti erant, a ſua ipſorum aut ab aliis eccleſiis ad teſtificandum amorem mittebatur. Fuit hoc, (deſinente ſcilicet antiquo more ipſam euchariſtiam mittendi) fuit, inquam, panis S. Cœnæ inſtar, diverſa tamen formula adhibita, benedictus, adeoque iure optimo evlogia dici ſolitus. Hi, quod ego quidem ſciam, potiores ſunt evlogiæ ſignificatus, quos pro temporis penuria reperire licuit.

ORATIO INAUGURALIS,

DE

EO, QUOD JUCUNDUM EST IN VITA SCHOLASTICA.

ORATIO INAUGURALIS,

DE

EO, QUOD JUCUNDUM EST

IN VITA SCHOLASTICA.

Quamquam me pudor, quem mihi natura tribuit, ſatis impedire poterat, quo minus in ſplendido hoc Summorum Virorum conſeſſu ſurgerem; fecit tamen beneficii in me collati magnitudo, ut timiditate mea me facilius exſolverem, & inſolito quodam dicendi deſiderio exardeſcere mihi viderer. Placuit enim *Celſisſimæ Reverendisſimæque Principi Noſtræ*, ſuadentibus Vobis, Fautores ſummopere colendi, qui Illuſtris Gymnaſii Quedlinburgenſis curam geritis, me peregrinum hominem & in umbra ſcholaſtica latentem ad terras has arceſſere, muſarumque Quedlinburgenſium cœtui adiungere. Quod quoties mecum reputo, (reputo autem ſæpiſſime) toties Deum T.O.M., nutu ſuo res humanas gubernantem, venerabundus adoro, & in Veſtræ benevolentiæ admirationem rapior maximam. Quid mirum itaque, quod dicendi munus non modo non recuſem, ſed etiam ardenter cupiam, ut, quanta in me exſtent merita Veſtra, & quanto voluptatis ſenſu Veſtra me perfundat benignitas, publica hac oratione teſtificari

possim. Aſt arduum ac difficile munus! Quo minus enim ea in me esse video, quibus tam honorifice a Vobis invitari potui, eo magis hæsito, & quid prius, quid posterius dicam, nescio. Dicam tamen, quamvis parum ornate ac eleganter, sed ita, ut debitas Vobis gratias agam, quoniam referre illas penitusque exsolvere, virium mearum non patitur tenuitas.

Ante vero quam hoc perficiam, liceat, Auditores, quia differendi necessitatem & mos maiorum & muneris capessendi ratio imponit, liceat, breviter summatimque docere, quam suaves, quam iucundi, quam denique exoptabiles sint illorum labores, qui scholæ operam dant, quique iuventuti viam ad eruditionem, ad sapientiam, ad virtutem muniunt. Quæ res sicuti ab hoc, quod per sex annos secutus sum, vitæ genere non abhorret, ita Vestrum exspectat iudicium, Vestramque efflagitat attentionem, quam, ut benevole mihi concedatis, rogo atque obtestor.

Equidem, Auditores, ille ego non sum, qui omnem molestiam, omnes acerbitates a vita scholastica abesse contendam, aut eos vituperem, qui senio confecti & diuturnis laboribus fracti, tandem rude donari cupiunt. Est enim hæc rerum humanarum conditio, ut nihil ab omni parte beatum dici queat, utque illa fors optima plerumque sit,

quæ

quæ minimis premitur vitiis. Veruntamen mirari ſæpius ſoleo, qui fiat, ut iuventutis doctores a laboribus ſuis faſtidio quodam & ſatietate celerrime abalienentur, ſortemque ſuam iniquo animo ferant, lugeant, deplorent. Reperiuntur ſane permulti, qui ſcholaſticum munus triſte & acerbum putant; qui functionum ſuarum pertæſi quotidie corrugata fronte ac vultu ſupercilioſo apparent; qui ſemper queruli ſunt, difficiles, moroſi; qui quoties ad ſtationes ſuas diſcedunt, toties in iuvenes, non vano metu conſtrictos, acriter detonant, eorumque animos obiurgationibus ſuis abſterrent magis, quam præceptis alliciunt atque demulcent. Nec hoc ſatis; ſed aliorum quoque aures querelis ſuis fatigant, quas ſi quando ſurdas experiuntur, tunc certe vehementius exardeſcunt & inflammantur. "O! miſeros nos, inquiunt, o! infelices, quibus contigit, effrenem et refractariam iuventutem coercere, innumera laborum faſtidia devorare, ac omne tempus, quod ab aliis cum voluptate tranſigitur, moleſtiſſimis laboribus tribuere. Quid enim moleſtius, quid triſtius, quam balbutiens diſcipulorum os formare, ſtilum vacillantem regere, exercitia non ſine multo ſudore emendare & quaſi Augiæ ſtabulum exſtercorare, iuvenes petulantes ad probitatem, ignavos ad induſtriam, ad ſobrietatem luxuriantes revocare?„ — Sed abeant & lamentari deſinant hi homines, qui, dici vix poteſt,

quam perverſe omnia diiudicent, & quantum, quamque irreparabile damnum rei afferant ſcholaſticæ. Videamus, quæ tandem medicina illis parari poſſit, quibus iuventutis inſtitutio ſordet atque vileſcit. Videamus, quanti ex laboribus ſcholaſticis percipiantur fructus.

Atque ut hæc omnis cauſa eo melius diiudicari queat, non teſtimoniis, ſed rationibus agendum videtur. Has vero dum accurate perpendo, ante omnia in mentem venit id, quod ad adverſarios ab errore revocandos plurimum ponderis habet. Nimirum magna eſt laborum dulcedo, quibus aliorum mentes iis rebus imbuuntur, quæ vitæ ornamenta & felicitatis præſidia ſunt. Hunc vero laborum ſcholaſticorum finem eſſe, quis eſt, qui neſciat? Dum enim iuvenes docemus, quid in quovis vitæ genere fugiendum expetendumue ſit; dum bonæ mentis integritatem quotidie ſuademus; dum faces & incitamenta ſtudiorum a pietate arceſſimus, quæ ſola animum ſerenum, tranquillum & alacrem reddit; dum, inquam, hæc omnia agimus; quid aliud eſt inſtitutio noſtra, quam fons & radix virtutis, quæ per omnem vitam ſeſe diffundere ac publice conſpiciendam præbere debet? Jam quis tam ferreus eſt & ab omni ſenſu alienus, quem non delectet, aliorum pueritiam, a cuius educatione totius vitæ exſpectatio pendet, ſic formaſſe, ut mens adhuc tenera ſaluberrimis præceptis muniatur,

niatur, & quantus ſit in virtute ſplendor, quanta in vitiis deformitas perdiſcat? Quis eſt, quin ſaltim aliqua lætitia afficiatur, quoties cogitat, quam egregium ſit, iuvenum animos ad vitæ humanæ caſus ſic præparaſſe, ut neque rebus ſecundis nimio efferantur gaudio, neque adverſis nimio luctu deiiciantur, neque voluptatibus diffluant, neque ira exardeſcant & ad fævitiam abripiantur? Equidem ultro fateor, ab honeſtiſſima hac voluptate multos abeſſe, eos præſertim, qui vel id unice agunt, ut diſcipulorum memoriam loquendi formulis effarciant, vel qui in explicandis verborum ſignificatibus deſudant, id vero, quod concinnum, elegans, aptum & pulchrum eſt, aut ignorant aut ſaltim reticent, vel qui vanis laboribus ſe aliosque diſcruciant, & argutiis intenti nunquam ad maiora adſurgere poſſunt. Hæc vero docentium culpa eſt, non illorum, qui liberalibus diſciplinis innutriri & præclararum rerum ſtudio accendi debent.

Magna eſt vitæ ſcholaſticæ dulcedo, magna voluptas, qua perfruuntur omnes, quotquot iuventutem ſic inſtruunt, ut facilius ad id, quod bonum rectumque eſt, perducatur. Quid vero, Auditores? Nonne æque iucundum eſt ac ſuave, iuvenum ingenia formare, & tenebricoſas mentes artibus diſciplinisque, tanquam lumine quodam, colluſtrare? Nonne ſplendidum eſt, ſcientiarum penetralia recludere & ad eruditionem ducere, quæ, ſi

ad virtutem accedit, tum illud neſcio quid præclarum atque excellens exſurgere ſolet? Ego certe ſic ſemper mecum conſtitui, magnam eſſe ſcientiarum vim, ad animos non ſolum oblectandos, ſed etiam excitandos & inſatiabili diſcendi deſiderio inflammandos. Si enim in iuvenum conſeſſu libros a viris ſumma doctrina excultis conſcriptos explicamus, ſi græcæ romanæque ſapientiæ theſauros aperimus, ſi Theologiam, Hiſtoriam, Matheſin, Phyſicam ceterasque diſciplinas, quæ in ſcholis tractari ſolent, tradimus; maximam certe rerum multitudinem deprehendimus, quæ præſtantia & utilitate ſua ſe optimo cuique commendant. Hoc autem ſi verum eſt, ut eſt veriſſimum, neſcio ſane, quid tandem ſibi velint ii, qui de vitæ ſcholaſticæ molestiis acerbe conqueruntur, nec diſciplinarum, quas tractant, dignitate moventur. Quid enim animum optimarum rerum ſtudio allicit, allectumque a ſceleribus defendit? Scientiæ. Quid ea docet, quæ ad communem fructum efferri, & in aſpectum lucemque prodire poſſunt? Scientiæ. Quid eas res præbet, quæ nec furem nec prædonem timent, nec incendiis atque ruinis obnoxiæ ſunt? Scientiæ. Quid denique ſempiternam nominis memoriam diſſeminat cum omni poſteritate adæquandam? Scientiæ. Has itaque non colamus? Non admiremur? Non omni ſtudio expetendas putemus? Felices ſane omnes, qui iis ſtudiis

ſe totos tradunt, quæ adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium & ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, ruſticantur.

Aliud adhuc reſtat argumentum, idque, ni egregie fallor, firmiſſimum, quo tandem extra omnem dubitationis aleam ponitur, maximam eſſe laborum ſcholaſticorum ſuavitatem. Nempe non exigui ſunt fructus, qui ex iuvenum inſtitutione in rempubl. & in omne vitæ genus redundant. Erudiuntur enim iuvenes, non ut minutiis & ſubtilitatibus caput onerent, non ut vocabulis inhæreant & vanæ eruditionis farraginem corradant, non denique, ut horridos & incultos mores alant. Sed hic eſt finis, ad quem tanquam ad metam aliquam tendunt ſcholaſtici labores, ut iuvenes, qui quaſi flos & decus patriæ ſunt, ſtudiis, quæ ad humanitatem ducunt, imbuantur, & ad omne officii munus præparentur, ne quando ornamenta deſint & fulcra, quibus reſp. nitatur, confirmetur, augeatur. Nullum enim publicorum officiorum eſt genus, nulla adminiſtrandæ reip. ratio, quæ non ita literarum auxilio indigeat, ut iis plane neglectis metuenda ſit ſumma confuſio rerum. Quare, quamvis multa adhuc atque egregia ſint mortalium inſtituta, quibus publicæ ſaluti conſulitur; neſcio tamen, an ſalubrius ullum ſit & magis

neceſſarium, quam ſcholæ, in quibus ita erudiuntur iuvenes, ut erudire iterum alios & præſertim videre poſſint, ne quid detrimenti capiat reſp.

Optimi itaque omnium ſeculorum principes hoc ſibi datum putarunt, ut literarum ſtudia excitarent, & ſcholas foverent, quas ſapientiæ virtutisque ſeminaria eſſe non ignorabant. Scholarum autem utilitas ex eo cognoſcitur maxime, ſi, qui in illis formantur, iuvenes, non ſcholæ ſed vitæ diſcunt, adeoque iis rebus imbuuntur, unde ſcire poſſint, quid in omnibus rebus factu optimum ſit, quæ officia parentibus, patriæ, amicis impendenda ſint; quibus legibus publica ſalus contineatur, quantam vim ad muniendam ſuam aliorumque felicitatem habeat religio, cur denique bonus civis eſſe non poſſit, niſi bona mente inſtructus. His omnibus itaque ingenuarum artium magiſtri occupantur; in hoc unice deſudant; his denique ſaluberrimis præceptis iuvenum pectora implent ac muniunt. At enimvero quantos horum laborum fructus, quantas vitæ ſcholaſticæ ſvavitates, quanta oblectamenta eſſe oportet, præſertim ſi prudens & ſobria inſtitutio fidem facit, fore, ut aliquando iuvenum, qui iam ex ore noſtro pendent, felicitatem, gloriam & publica in patriam merita conſpiciamus. Lætantur agricolæ, ſi ſurculos ſua manu inſitos, in arbores amplas frugiferasque excreſcere vident; lætantur, ſi ſemen,

quod gremio mollito atque ſubacto excepit terra, primum herbeſcit, mox culmo erigitur, denique ſpicas fundit multo tritico gravidas, & largæ meſſis teſtes. Quidni itaque lætentur boni bonarum artium magiſtri, ſi iuvenes diſciplinæ ſuæ traditos quotidie ad maiora exſurgere & ad ſolidæ eruditionis decus generoſo impetu ferri ſentiunt, alios vero, quorum ſtudia olim regebant, ampliſſimis honoribus ornatos vident?

Multa adhuc ſunt, quæ ad commonſtrandas muneris ſcholaſtici ſuavitates plurimum valent, quæque obſcura eſſe poſſunt nemini, niſi quem invidia aut partium ſtudium a veritate revocant. Sed hæc omnia longa oratione proſequi, iam vetor. Unum tamen a me in dicendo prætereundum non eſt. Quis enim hoc negare & poteſt & audet, quod, qui iuvenes erudiunt, amplam occaſionem ſibi ad promovenda ſtudia ſua oblatam habeant? Nunc enim divinæ ſapientiæ præcepta explicant, quæ quoniam vitæ noſtræ mirum quantum inſerviunt, & animum a turpitudine ad honeſtatem, a vitiis ad virtutem ducunt, omnem certe diligentiam noſtram iure quodam ſuo ſibi vindicare videntur. Nunc iis ſtudiis operam dant, quæ ab humanitate nomen arceſſunt, quæque ſermonibus noſtris leporem quendam ac venuſtatem, moribus elegantiam, actionibus denique dignitatem conciliant. Nunc rerum geſtarum annales evolvunt,

& gentium fata, imperiorum præcipites casus, bellorum inexspectatos eventus, & viros bellica virtute illustres aut pacis artibus instructos contemplantur. Nunc DEMOSTHENEM & CICERONEM, summos, quos Græcia & Latium tulit, oratores admirantur. Nunc VIRGILIUM, divinum & immortale sonantem, quem ipsa Græcia stuperet, nisi HOMERUM habuisset, advocant. Nunc HORATII odas, monumentum ære perennius regalique pyramidum situ altius, legunt, relegunt, nec legendo unquam satiari possunt. Nunc ad Philosophiæ penetralia accedunt, & vel de ratione instituendæ vitæ & de officiis, quæ Deo, nobis, aliisque debentur, disputant, vel rerum, quæ in mundo fiunt, causas aperiunt, vel nimborum, fulminum, herbarum, omniumque, quæ gignuntur e terra, naturas, vires, utilitates persequuntur. O! res præclaras & ardentissimo studio expetendas! O! felices eos, quibus contigit, munere isto fungi, quod totum iis studiis occupatur, quæ animum varia atque multiplici rerum cognitione imbuunt! Isti itaque acrius nobis insectandi sunt, vehementiusque repellendi, qui affirmare audent, munus scholasticum non esse ita svave, ut sit gerendum, sed esse ita molestum & difficile, ut sit pertimescendum.

Equidem quo magis orationis meæ vela pando, eo maior & patentior mihi ostenditur cursus.

Tem-

Temporis autem ratio, & eorum, quæ adhuc dicenda sunt, multitudo, ut portum tandem aliquando respiciam, iubent. Namque quod hodie auspicor munus, honorificentissimo Principis Abbatissæ iudicio atque decreto ad me delatum, id vero tantæ clementiæ benignitatisque testimonium est, ut tacitus illud præterire non possim, licet, non dicam exornare, sed enarrare illud vix sustineam. Quid enim, Clementissima Princeps, ad hanc spartam mihi demandandam Te commovere potuit? Num facultas, quam mihi inesse arbitraris? At, quantula illa est! An vero aliqua nominis mei cognitio? At, nihil certe de me, obscuro homine, audivisti unquam. Tua itaque est clementia, Tuum beneficium, quod in me contulisti, amplissimum; cui quidem quamvis me plane imparem sentiam, curabo tamen, ut spem, quam de me concepisti, impleam, & optimorum Collegarum auxilio adiutus, veterem huius Lycei gloriam amissam restituam, vacillantem vero confirmem.

Etsi vero beneficium, quo me iam exornatum video, tantum est, ut nulla orationis commendatione indigeat, tamen longe amabilius est factum, cum id mihi traditum est per manus Summorum Virorum, qui splendore, meritis, doctrina, incredibili denique humanitate sua, quidquid aliis præstant, iucundissimum reddunt & maximum. Te iam compello, Vir Excellentissime, Vosque, Viri

S. V., qui rerum ecclesiasticarum curam geritis, & quorum in me ornando studium exstitit tantum, quantum esse solet, cum summum est. Quare si ego iam laudes Vestras, quæ maximæ sunt, deprædicare, si animum Vobis deditissimum verbis declarare instituerem, oratio profecto mihi deesse non posset. Nunc autem cum neque auctoritatis, neque facultatis in me tantum sit, quantum ad benevolentiam Vestram digne ornandam, & ad gratias Vobis rite persolvendas requiritur; animo & factis semper gratus esse, quam lingua et verbis malo. Insidet enim animo meo penitusque infixa est favoris Vestri memoria, quam nulla unquam delebit oblivio, nulla obliterabit ætas. Quamobrem, quidquid in me est studii, laboris, diligentiæ, id omne eo conferam, ut beneficium Vestrum sempiterna animi pietate colam, & quibus rebus tributum est, eas, quam fieri potest, diligentissime curem.

Eandem mentem, eundem voluntatis affectum Vobis *etiam* declaro, Viri Consultissimi & Summe plurimumque Reverendi, quibus Illustris huius Gymnasii cura demandata est, quam etiam summa cum laude geritis. Vestra enim de me spes atque opinio, quam multis adhuc significationibus satis perspicue declarastis, licet magis a Vestro quodam

in

in me favore, quam ab re & veritate orta sit, tamen a me postulat, ut pro tot tantisque in me meritis, gratias Vobis referam, quas possum maximas. Felicem itaque me, qui hanc opportunitatem nactus sum, publice Vobis testificandi, quanto laetitiæ sensu Vestra me perfuderit benevolentia, & quam pulchrum, quamque glorioſum mihi sit, laudari ab iis, qui ipsi omni laude cumulatissimi sunt! Pergite vero, Fautores summopere colendi, pergite & homini Vobis deditissimo hoc tribuite, ut benignitate Vestra semper fruatur, consilio autem studiisque Vestris nunquam non suffulciatur. Efficite pro ea, qua valetis, auctoritate, ut intelligant omnes, promovendas esse veterum artes, fovendam esse eruditionem, colendam denique virtutem, quæ sola ad felicitatem ducit nunquam interituram.

Ad vos mea nunc delabitur oratio, Viri doctissimi, Collegæ æstumatissimi, quibuscum iam arctiori quodam vinculo coniungor. Utinam vero sincerrimam animi mei erga Vos propensionem & deditissimum illud studium, quo Vos omnes prosequor & colo, satis significare possem! At hæc omnia tanta in me sunt, ut sermonem non ferant & verbis exprimi nesciant. Nec etiam arbitror, Vos exquisitam & verbosam officii promissionem desi-

deſiderare: non enim verbis, ſed re & factis opus eſt, ut Vobis oſtendam, me talem ſemper futurum, qualem maxime optatis. Quamobrem ſi hæ boni collegæ partes ſunt, ut eorum, quibus familiariſſime utitur, favorem & amicitiam magni æſtimet, ut inclinatiore ad pacem ſit animo, ut nihil invidiæ, odio nihil, nihil denique ſuſpicioni det, ut in docendo ſit aſſiduus & laborioſus, ut utilitati publicæ ſua commoda poſtponat: hæc, inquam, ſi a bono collega exſpectantur, ſancte Vobis polliceor, me omni cura id ſemper acturum eſſe, ut iis omnibus ſatis faciam, quæ a me exſpectari & poſſunt & debent. Vos vero, Collegæ æſtumatiſſimi, in hoc mecum ſedulo atque ardenter incumbite, ut iuvenes, quos docemus, ad honeſtiſſima ſtudia excitentur noſtrisque exemplis inflammentur. Elaborate etiam in hoc, ut virtuti pietatique ſuus maneat honos, utque ex hac bonarum artium officina, tanquam ex equo Troiano, prodeant, quibus cura reip. & ſalus eccleſiæ committi poſſit. Præſertim vero Te, Collega coniunctiſſime, rogo atque obteſtor, ut, quod facis, benevolentia Tua me nunquam non amplectaris, amicitiæ Tuæ, qua nihil mihi ſuavius, nihil oportunius eſſe poteſt, addas perpetuitatem, meque laborum Tuorum Tibi adiungas comitem, quem ſemper habebis indivulſum, alacrem & ad quævis officiorum genera paratiſſimum.

Quid

Quid tandem Vobis, Cariſſimi Juvenes, meum erga Vos animum longo ſermone commonſtrem, cum vel me non monente ſciatis, boni præceptoris eſſe, eos omnes, quorum ſtudia regit, ſumma fide ſic inſtituere, ut ad ipſos illos virtutis doctrinæque fontes ducantur, ex quibus ingenia & pectora irrigari poſſint? Quid ad bonarum artium ſtudia Vos exhorter, cum ſciatis, quanta liberalibus diſciplinis inſit ſuavitas, & quantus diſcendi ardor apud maiores Veſtros fuerit, qui olim hunc ludum frequentarunt? Fuit enim hæc quondam, fuit huius Lycei gloria, ut haberet iuvenes humaniorum literarum amantes & ſtudioſos, qui deinceps ſummam ingenii doctrinæque laudem aſſecuti ſunt, quorum etiam nonnullos in hoc litteratiſſimorum hominum conſeſſu videtis. Quanto itaque Vos ſtudio convenit, veterem hanc gloriam tueri, nec unquam pati, ut hoc ad poſteros propagetur, antiquam huius laudis poſſeſſionem per Vos conſervari non potuiſſe? Quare, quantum in Vobis eſt, cariſſima pectora, tradite Vos iſti doctrinæ, cuius ſtudium & utile & glorioſum Vobis reperietis. Ecce, hi ipſi ſummi atque præſtantes Viri, quorum ſplendidum conſeſſum admiramini, per me Vos exhortantur. "Conſumite, inquiunt, "conſumite omnem diligentiam Veſtram in addi-

"ſcendis

"ſcendis humanitatis ſtudiis, quæ optimus quisque
"diligit, amat, & fovet. Cogitate quam breve
"ſit vitæ humanæ curriculum, quam longum vero
"diſciplinarum iter, quod Vobis emetiendum eſt!
"Aſpernamini itaque & angue peius fugite eas res,
"quæ vel ſtudia Veſtra retardare, vel a morum
"probitate revocare Vos poſſunt! Colite virtu-
"tem, qua nihil pulchrius, nihil præſtantius generi
"humano Deus dedit! — His igitur ſanctiſſimis
vocibus non ſtudio Veſtro reſpondebitis, Juvenes?
His ſaluberrimis exhortationibus non move-
bimini?

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Rambach, Johann Jakob

Sylloge dissertationum ad rem literariam pertinentium

Hamburgum 1790
H.lit.u. 225
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10447888-8
VD18 14690578-001